An. et vol. XXXXI 30 Martii - 25 Aprilis 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 4-5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacra Consistoria, p. 121 - Litterae Decretales, p. 128 - Epistula Encyclica, p. 161 - Motu proprio, p. 165 - Constitutiones Apostolicae, p. 140, 167 - Litterae Apostolicae, p. 144, 172 - Epistulae, p. 175 - Allocutio, p. 177 - Nuntius radiophonicus, p. 179 - Hortatio, p. 182 - Oratio, p. 187.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Decretum, p. 189; II. Provisio Ecclesiarum, p. 192 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 148 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 149, 193.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 157.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad codicis canones authentice interpretandos*: Responsa ad dubia, p. 158.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine, p. 198 - Onorificenze, p. 159, 205.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 4 - 30 Martii 1949)

ACTA PII PP. XII

SACRA CONSISTORIA

I

CONSISTORIUM SECRETUM
(*die 14 Martii 1949*)

PAG.

I. Camerarius Sacri Collegii 121
II. Optio Ecclesiae 121
III. Provisio Ecclesiarum 121
IV. Praestatio Iuramenti 126
V. Relatio Causarum 126
VI. Postulatio Palliorum 127

II

CONSISTORIUM PUBLICUM
(*eadem die*) 127

LITTERAE DECRETALES

Martyrum Caput. - Beatus Ioannes De Britto, Sacerdos professus Societatis Iesu, Martyr, in Sanctorum album refertur. - 22 Iunii 1947 128

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *De Lulua et Katanga* (Lacus Moëri). - E Vicariatu Apostolico de Lulua et Katanga territorii pars distrahitur et nova exinde Praefectura Apostolica erigitur, « Lacus Moëri » nomine. - 8 Iulii 1948 140
II. *Bataviensis* (Sukabumensis). - E Vicariatu Apostolico Bataviensi pars distrahitur et nova erigitur Praefectura Apostolica Sukabumensis. - 9 Decembris 1948 142

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Apud Christianum populum.* - Collegialis et Praeposituralis Ecclesia Sancti Ioannis Baptistae, in civitate « Busto Arsizio » intra fines Mediolanensis archidioecesis, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoratur. - 12 Februarii 1948 144
II. *Ero Deus vester.* - Ecclesia Praeposituralis ac Paroecialis, in honorem S. Martini Ep. Deo dicata, civitatis « Magenta » in Mediolanensi archidioecesi, honoribus Basilicae Minoris insignitur. - 3 Maii 1948 146

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PAG.

De Loango (de Pointe-Noire). - Decretum. Vicariatus Apostolicus de Loango deinceps « de Pointe-Noire » appellabitur. - 20 Ianuarii 1949 148

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Parisien.* - Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Annae Mariae Javouhey, Fundatricis Instituti Sororum S. Ioseph de Cluny. - 19 Decembris 1948 149
II. *Bituricen. seu Galliarum.* - Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Ioannae de Valois, Galliarum Reginae, Fundatricis Ordinis SS. Annuntiationis B. M. V. - 13 Februarii 1949 . 151
III. *Savonen.* - Decretum de miraculis pro canonizatione B. Mariae Iosephae Rossello, Virginis e Tertio Ordine S. Francisci, Fundatricis Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia. - 13 Februarii 1949 . . . 153
IV. *Brixien.* - Decretum de miraculis pro canonizatione B. Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Fundatricis Instituti Sororum a Caritate. - 13 Februarii 1949 155

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis:

Aquipendien. - Nullitatis matrimonii (Marini-Mostone). - 23 Martii 1949 . . 157

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - 26 Ianuarii 1949 158

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Onorificenze* . . . 159

(*pro Indice fasc. 5, v. pag. III*)

An. et vol. XXXXI 30 Martii 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRA CONSISTORIA

I

CONSISTORIUM SECRETUM

Die XIV Martii a. MCMXXXXIX in consueta Aula Palatii Apostolici fuit *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur.

I – CAMERARIUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Jorio detulit ac reddidit Perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Ssmo Domino Nostro, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Massimi, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Camerario.

II – OPTIO ECCLESIAE

Deinde Reverendissimus Cardinalis Piazza, dimisso presbyterali Titulo S. Priscae, optavit Ecclesiam suburbicariam Sabinensem et Mandelensem. Ex aula egresso Revmo Cardinali Piazza, Ssmus, panditam optionem benigno favore prosequi intendens, providit Ecclesiae Sabinensi et Mandelensi de Revmo Adeodato Ioanne S. R. E. Presbytero Cardinali Piazza, eum praeficiens in Episcopum et Pastorem, prout in decreto expediendo. Postea Revmus Cardinalis Piazza iterum in aulam consistorialem ingressus est.

III – PROVISIO ECCLESIARUM

Subinde Ssmus sequentes proposuit Ecclesias:

Titulari archiepiscopali Ecclesiae Mitylenensi praefecit Exc. P. D. Emmanuelem Trindade Salgueiro, hactenus Episcopum titularem Helenopolitanum in Palaestina.

Titulari archiepiscopali Ecclesiae Myrensi R. P. D. Aegydium Vagnozzi, Antistitem Urbanum, quem constituit Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis.

Titulari archiepiscopali Ecclesiae Paltenae R. P. D. Maximilianum de Fürstenberg, Antistitem Urbanum, quem constituit Delegatum Apostolicum in Japonia.

Titulari episcopali Ecclesiae Prienensi R. D. Emmanuelem Dos Santos Rocha, canonicum Capituli cathedralis Conimbricensis, quem constituit Auxiliarem Emi P. D. Emmanuelis S. R. E. Cardinalis Conçalves Cerejeira, Patriarchae Lisbonensis.

Insuper alios etiam per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos sacrorum Antistites edixit, nimirum :

PATRIARCHAM :

Venetiarum, Carolum Agostini, iam Episcopum Patavinum.

ARCHIEPISCOPOS :

Spoletanum, Raphaëlem Marium Radossi, iam Episcopum Parentinum et Polensem.

Theatinum, cum administratione perpetua dioecesis Vastensis, Ioannem Baptistam Bosio.

Apamenum in Syria, Paulum Pappalardo, Delegatum Apostolicum in Iran.

Friburgensem, Vendelinum Rauch.

Platensem, Thomam Solari, iam Episcopum Aulonensem.

Arcadiopolitanum in Europa, Marcellum Lefebvre, iam Episcopum Anthedonensem, Delegatum Apostolicum in Dakar.

Compostellanum, Carmelum Ballester y Nieto, iam Episcopum Victoriensem, nuper vita functum.

Rothomagensem, Iosephum Mariam Martin, iam Episcopum Aniciensem.

Gnesnensem et Varsaviensem, archidioecesibus *in personam* unitis, Stephanum Wyszyński, iam Episcopum Lublinensem.

Sardianum, Ioannem Urbani, iam Episcopum Axomitanum.

Pelusiotanum, Patricium O' Donnel, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Iacobi Duhig, Archiepiscopi Brisbanensis.

S. Iacobi in Cuba, Henricum Pérez Serantes, iam Episcopum Camagueyensem.

Tyanensem, Petrum Doimum Munzani, iam Archiepiscopum Jadrensem.

Rossanensem, Ioannem Rizzo, iam Episcopum Lysiadensem.

Amorianum, Michaëlem Godlewski, iam Episcopum Agbiensem.

Tarraconensem, Beniaminum De Arriba y Castro, iam Episcopum Ovetensem.

EPISCOPOS :

Menoidensem, Vincentium Gelat.

Puniensem, Albertum Dettmann y Aragón, iam Episcopum Huancavelicensem.

Ruthenensem, Marcellum Dubois.

Zimtaovensem, Augustinum Olbert.

Bucellensem, Leonem Arkfeld, Vicarium Apostolicum Novae Guineae Centralis.

Catulensem, Stephanum Appelhans, Vicarium Apostolicum Novae Guineae Orientalis.

Cerasenum, Andream Reginaldum Jacq, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Felicis Hedde, Vicarii Apostolici de Langson et Caobang.

Gilbensem, Marcum Gopu, Auxiliarem R. P. D. Augusti Simeonis Colas, Archiepiscopi Pondicheriensis.

Heliosebastenum, Guilfordum Young, Auxiliarem R. P. D. Terentii Bernardi McGuire, Archiepiscopi Camberrensis et Gulbernensis.

Cavensem et Sarnensem, Ianuarium Fenizia, iam Episcopum Neritonensem.

Eistettensem, Iosephum Schröffer.

Florianensem, Eduardum Mc Manaman, Auxiliarem R. P. D. Ioannis Marci Gannon, Episcopi Eriensis.

S. Pauli in Alberta, noviter erecta dioecesi, Mauritium Baudoux.

Tigiensem, Georgium Andream Beck, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Arthuri Doubleday, Episcopi Brentwoodensis.

Albulensem, Percival Caza, Auxiliarem R. P. D. Iosephi Alphridi Langlois, Episcopi Campivallensis.

Ptolemaidensem in Libya, Carolum Angeleri, Auxiliarem R. P. D. Aegysti Dominici Melchiori, Episcopi Derthonensis.

Herbipolensem, Iulium Döpfner.

Gerarensem, Henricum Vion, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Eduardi Gabrielis Mesguen, Episcopi Pictaviensis.

Barranquillensem, Iesum Antonium Castro.

Naronensem, Leonem Pietsch, Auxiliarem R. P. D. Ferdinandi Pawlikowski, Episcopi Secoviensis.

Amazonensem, Albertum Gaudentium Ramos.

Cajazeirasensem, Aloisium Mousinho.

Oeirensem, noviter erecta dioecesi, Expeditum Lopes.

Abaritanum, Lazarum Neves, Auxiliarem R. P. D. Antonii Iosephi dos Santos, Episcopi Assisensis.

Sancti Claudii, Claudium Flusin.

De Bonfim, Iosephum Alves de Trinidade.

Savonensem et Naulensem, Ioannem Baptistam Parodi.

Neritonensem, Franciscum Minerva.

Montisclarensem, Antonium Moraes Almeida.

Cissitanum, Henricum Gleumes, Auxiliarem R. P. D. Michaëlis Keller, Episcopi Monasteriensis.

Scyrium, Carolum Leiprecht, Auxiliarem R. P. D. Ioannis Baptistae Sproll, Episcopi Rottenburgensis.

Conimbricensem, Ernestum Sena de Oliveira, iam Archiepiscopum-Episcopum Lamacensem.

Lamacensem, Ioannem a Silva Campos Neves, iam Episcopum Vatarbensem.

Metelitanum, Iosephum Franciscum Flannelly, Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Card. Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

Pariensem, Franciscum Xaverium Gsell, iam Episcopum Darwinensem.

Cairnensem, Thomam Vincentium Cahill.

Achollitanum, Antoninum Ludovicum Van der Veen Zeppenfeldt, Vicarium Apostolicum Curacaensem.

Azurensem et *Praelatum Nullius Pinerensem,* Alphonsum Ungarelli.

Aulonensem, Emmanuelem Tato, Auxiliarem Emi P. D. Iacobi Aloisii S. R. E. Card. Copello, Archiepiscopi Bonaërensis.

S. Vincentii, dioecesi noviter erecta, Arnaldum Aparicio, iam Episcopum Aezanitanum.

Talianum, noviter erecta dioecesi, Lucianum Lacoste.

De Dinajpur, Iosephum Obert.

Bagaiensem, Hugonem Boyle, Vicarium Apostolicum de Port Elizabeth.

Anthedonensem, Ioannem Choe, Vicarium Apostolicum de Taiku.

Liparensem, Alphridum Galindo Mendoza, Vicarium Apostolicum Confinioris Californiae.

Aborensem, Brunonem Hippel, primum Vicarium Apostolicum de Oudtshoorn.

Bitensem, Ioannem Riegler, primum Vicarium Apostolicum de Lydenburg.

Amyzonensem, Carolum Dauvin, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Henrici Van Schingen, Vicarii Apostolici de Koango, iam vita functum.

Camagueyensem, Carolum Riu Angles.

Darwinensem, Ioannem O'Loughlin.

Hanciomensem, Iosephum Maggi.

Caeciritanum, Caelestinum Ibanez y Aparicio, iam Episcopum Iennganensem.

Campifontis in Illinois, Gulielmum O'Connor.

Ioliettensem in Illinois, noviter erecta dioecesi, Martinum McNamara.

Formensem, Gulielmum Cousins, Auxiliarem Emi P. D. Samuelis Alphonsi S. R. E. Card. Stritch, Archiepiscopi Chicagiensis.

Albae Pompeiensis, Carolum Stoppa, iam Episcopum Sarsinatensem.

Tornacensem, Carolum Himmer.

Huancavelicensem, Carolum Jurgens.

Coelianensem, Franciscum Mazzieri, primum Vicarium Apostolicum de Ndola.

Baianensem, Victorem Antonium Haelg, Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Ioachini Ammann, Abbatis « nullius » de Ndanda.

Claniensem, Franciscum Esser, primum Vicarium Apostolicum de Keetmanshoop.

Aphnaetenum, Iosephum Alexandrum Fernandez, Auxiliarem R. P. D. Ferdinandi Périer, Archiepiscopi Calcuttensis.

Aracajuensem, Ferdinandum Gomes dos Santos, iam Episcopum Penedensem.

De Punta Arenas, Vladimirum Boric.

Edmundstonensem, Romanum Cagnon.

Buritanum, Iacobum Teerenstra, Auxiliarem R. P. D. Renati Graffin, Vicarii Apostolici de Yaoundé.

Denique Ssmus ratas se habere dixit electiones canonice factas, in Synodo Episcoporum Melchitarum, R. D. Philippi Nabaa ad Ecclesiam archiepiscopalem Berytensem et R. D. Michaëlis Assaf ad Ecclesiam archiepiscopalem Petrensem et Philadelphiensem.

IV – PRAESTATIO IURAMENTI

Postea Reverendissimus Cardinalis Episcopus Sabinensis et Mandelensis iuramentum praestitit ac deinde suum locum postremum inter Cardinales Ordinis Episcopalis petiit.

V – RELATIO CAUSARUM

Revmus Cardinalis Micara, Praefectus Congregationis Sacrorum Rituum, impetrata Beatissimi Patris venia, sermonem habuit de vita et miraculis Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis, fundatricis Instituti Sororum a caritate, Mariae Iosephae Rossello, Virginis, e Tertio Ordine S. Francisci, fundatricis Instituti Filiarum Dominae Nostrae a misericordia, Ioannae de Valois, Galliarum reginae, fundatricis Ordinis Ssmae Annuntiationis Beatae Mariae Virginis; ac recensuit acta quae in Causa Beatificationis et Canonizationis earumdem Beatarum, Sacrorum Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admisit et adprobavit.

Relatione expleta, Ssmus Dominus Noster Revmorum Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivit et singuli Patres Cardinales sententiam suam aperuerunt.

VI – POSTULATIO PALLIORUM

Tum personaliter S. Pallium postulaverunt pro sua Ecclesia Patriarcha Venetiarum et Spoletanus Archiepiscopus.

Per Procuratorem autem facta est postulatio Palliorum ab Ecclesiis metropolitanis: *Theatina, Friburgensi, Platensi, Rothomagensi, S. Iacobi in Cuba, Gnesnensi et Varsaviensi, Tarraconensi, SS. Assumptionis* (per successionem); item ab archiepiscopali *Rossanensi;* atque (ex privilegio) ab episcopali Ecclesia *Savonensi.*

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Eadem die, Consistorio secreto absoluto, statim habitum est in eadem Aula *publicum Consistorium,* in quo sacrae Aulae Consistorialis Advocati, stantes ante Pontificis Solium, breviter singillatim retulerunt de vita, virtutibus ac miraculis pro Canonizatione Beatarum ut infra:

D. Philippus Re sermonem habuit de Beata Bartholomaea Capitanio, Virgine, fundatrice Instituti Sororum a caritate; D. Ioannes Baptista Ferrata de Beata Vincentia Gerosa, Virgine, altera fundatrice Sororum a caritate; D. Camillus Corsanego de Beata Maria Iosepha Rossello, Virgine, e Tertio Ordine S. Francisci, fundatrice Instituti Filiarum Dominae Nostrae a misericordia; D. Franciscus Xaverius Parisi de Beata Ioanna de Valois, Galliarum regina, fundatrice Ordinis Ssmae Annuntiationis B. Mariae Virginis; D. Philippus Re de Beata Ioanna de Lestonnac, vidua, fundatrice Ordinis Filiarum B. Mariae Virginis.

Quibus in genua provolutis, R. P. D. Antonius Bacci, a secretis Brevium ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, sic respondit:

« Haec iubeor nomine Augusti Pontificis presse respondere vobis.

Quemadmodum christianis omnibus, ita Antistiti sacrorum Maximo in votis est stellantibus Ecclesiae caelis nova lumina adicere, quae increscentem mundi caliginem sua luce collustrent, ac mentes obscuratas hominum ad veritatis dirigant iter. Idque praesertim hodie opportunum videtur, dum multorum animi mendacio decipiuntur, atque odio adversus catholicam religionem ita exagitantur, ut eius salutiferam virtutem supernumque afflatum renuant, respuant, ac vel etiam temerario ausu impugnent. Atqui hae quinque Beatae Caelites edocent omnes, quotquot in eas puros oculos convertunt, christianam solummodo sanctitatem posse ingentibus malis, quibus haec nostra aetas exasperatur, tutum validum-

que praebere remedium, quod quidem non mortalis tantum huius vitae, sed sempiternae etiam necessitatibus prospiciat ac consulat. Siquidem miseris adesse, infirmos suaviter relevare, iuventutem recte instituere et ad virtutem educere, pietatem in Deum, caritatem in indigentes, iustitiam erga omnes praedicare atque extollere, haec omnia sollemne habuere. Quo autem eximia haec virtutum exempla Ecclesiae filiis luculentius validiusque inclarescant, valde optandum est ut has Beatas Dei Famulas inerrans Pontificis Maximi auctoritas sanctitudinis infula decoret.

Hoc vehementer avet, ut dixi, Augustus Pontifex; verumtamen, ut est antiqui Apostolicae Sedis moris servator religiosissimus, non ante decretoriam sententiam laturus est, quam in Consistorio, quod Semipublicum dicitur, hisce super causis singulis Patres Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos, quotquot aderunt, consilium rogaverit.

Interea vero nos adhortatur omnes, ut, supplicibus admovendis ad Deum precibus, uberiorem usque lucem menti suae impetremus ».

LITTERAE DECRETALES

BEATUS IOANNES DE BRITTO, SACERDOS PROFESSUS SOCIETATIS IESU, MARTYR, IN SANCTORUM ALBUM REFERTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Martyrum Caput, Christus Iesus, humani generis Redemptor, verbis illis « *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* » (Matth., X, 32) debitum Sanctorum cultum, iuxta S. Cypriani (*De Martyr.*, sermo V) aliorumque Ecclesiae Patrum sententiam, illis praecipue promisit qui, profuso sanguine, nomen Eius in terris professi sunt. Ad Romanum autem Pontificem, qui Redemptoris Nostri vicibus fungitur in terris, unice spectare dignoscitur, Caelitum honores inerranti suo oraculo heroibus illis decernere. Quam nobilissimam Nostri muneris partem hodie Nobis datum est obire huiusmodi honoribus cohonestando pra clarissimum Martyrem illum Ioannem De Britto, novum Lusitanae gentis et inclitae Societatis Iesu fulgidissimum sidus.

Ulyssipone, in Lusitaniae metropoli, die prima Martii mensis, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo ortum ille habuit ex parentibus tum pietate tum generis nobilitate conspicuis, ex patre, scilicet, Salvatore De Britto Pereira et ex matre Beatrice Pereira, quorum

nobilitati non exiguum decus et splendorem addidit filius, a sanguine effuso, quam accepto, longe clarior. Lustralibus ablutus aquis sacroque inde chrismate inunctus, anno aetatis suae quarto, patre orbatus fuit, qui, Lusitaniae Regis Locumtenens in Brasiliis, in *Rio de Janeiro* urbe diem supremum obiit.

Optimam a matre institutionem accepit, atque, paullo adultior factus, honorarios inter ephebos Petri Principis, Regis Ioannis IV filii, cooptatus fuit. In regia domo, in qua illecebris facile allici potuisset, innocentem vitam traduxit, solidissimae virtutis indicia praebens, quo tempore humanioribus studiis incubuit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono gravi correptus fuit morbo. Valetudine tandem per S. Francisci Xaverii intercessionem recuperata, iuxta piae matris promissionem, anni unius spatio Societatis Iesu vestem induit, licet inter Principis ephebos manens. Quod non vanum futuri omen existimandum est. Percupide namque exoptabat in eamdem et ipse Societatem admitti; quod instanter petiit atque obtinuit. In quam quidem anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo ingressus, annum ipse agens decimum quintum, tyrocinium inivit, quo perdurante, mira regularis observantiae, obedientiae et caritatis specimina praebuit. Ex quibus unum, ad caritatem spectans, memorare lubet. Notum est in Societate Iesu laudabilem vigere consuetudinem iuvenes ex tyrocinio in nosocomia statutis diebus se conferre ut infirmis ibi deserviant. Quod officium exercens, debuit Ioannes cuidam assidere aegroto, qui ob senilem aetatem et morbi quo laborabat vim ad iram supra modum pronus erat. De Britto vero tam patienter infirmi iniurias toleravit ut ille, mansuetus factus ac velut in alium mutatus hominem, publice improbaverit contumelias quas in iuvenem intulerat.

Tyrocinii biennio strenue ac laudabiliter exacto, prius humanis litteris discendis in Eborensi Collegio operam dedit, postea philosophicis disciplinis in Coninbricensi Collegio quattuor annorum spatio assidue incubuit, quibus expletis, iuxta Societatis Iesu consuetudinem, grammaticae rudimenta in Ulyssiponensi Collegio adolescentibus tradidit. Theologico deinde cursu inchoato et anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio sacro suscepto presbyteratus ordine, ipse, qui Francisci Xaverii vestigiis omnino insistere sibi proposuerat, ferventissimo Indiae Missionis desiderio abreptus, ad Indias navigandi facultatem a suis Superioribus efflagitavit, neque unquam eius animus quiescere visus est donec eam obtineret. Quam demum, multis nequidquam ob eius infirmam valetudinem obluctantibus, consecutus est, opera potissimum P. Balthassaris a Costa, qui multos iam annos christianae religionis di-

latandae in India incumbebat et Ulyssipone tunc aderat ad suae Missionis res tractandas.

Voti compos factus Ioannes, dici satis nequit quanta laetitia exultaverit. Ad Missionem Madurensem in Malabarica provincia destinatus, eodem anno quo initiatus fuit sacerdotio, anno videlicet millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, die vigesima quinta Martii, in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, cum aliis Missionariis ad Indiam solvit. Mensibus sex continenter navigatum est antequam naves Goam urbem appellerent non semper quidem feliciter. Non semel namque mare ingentibus procellis agitatum fuit atque ob aëris gravitatem pestilentia adeo gravis exorta ut plures ex Missionariis, quos inter ipsemet P. Balthassar a Costa, ad suam Missionem ex Lusitania revertens, diem supremum obierint. Incredibile dictu est quanta alacritate quantoque studio De Britto suam impenderit operam tum aegrotis inserviendo, tum religionis solacia morituris praebendo.

Goam denique appulsus, ibi aliquandiu permansit ut S. Theologiae cursum in Lusitania inchoatum prosequi et ad missionales labores, praesertim indigenarum linguam discens, se parare posset. Quo tamen tempore sacerdotale ministerium inter catholicos illa in urbe degentes exercere non desiit.

Theologiae cursu feliciter expleto, Madurensem sibi destinatam Missionem, in Malabarica provincia, petiit atque missionales labores statim suscepit, in quibus decem ac trium annorum spatio assidue insudavit, nullis unquam incommodis ac periculis fractus. Cibi somnique immemor, frigoris et aestus aeque patiens, ultro citroque cursans longissima itinera sub ardenti sole et nudis saepe pedibus, ad Evangelium inter infideles propagandum obire non dubitavit, omnium semper tum theologalium tum cardinalium virtutum mira praebens exempla, ita ut recte de eo dici posset quod Augustinus de S. Cypriano « *ad pretiosam mortem iuste vivendo venit, ad gloriosam vitam iniuste moriendo perrexit* ». Nihil ergo mirum si ex hisce continuis laboribus amplissimam Ioannes collegerit messem. De qua re vehementer afflictabantur idolorum cultores, qui in eum persecutionem excitarunt. Anno itaque millesimo sexcentesimo octogesimo sexto Maravorum Provinciae Praefecti iussu in carcerem detrusus est ac variis affectus suppliciis. Nondum vero plenitudo temporis advenerat, quo Ioanni seposita erat corona iustitiae. Regulus enim Maravorum, ad quem ille cum suis sociis ductus fuerat, eum carcere liberavit; at eidem severe prohibuit quominus divinam legem posthac praedicaret, ipsumque e suo regno exulem abire iussit. Goam igitur reversus, a suo Provinciali Procurator Generalis Missionum renunciatus est et in Euro-

pam missus ut maximi momenti negotia, ad Indicas Missiones pertinentia, ageret ac deinde alios evangelii praecones in Indiam secum duceret.

Negotiis sibi demandatis feliciter absolutis, ac posthabitis gratiosis Lusitaniae Regis condicionibus, qui eum filio suo, regni heredi, institutorem dare optabat, ad Indias denuo rediit. Goam appulsus, a superioribus impetravit ut iterum Maravicae Missioni destinaretur. Vix dum eo pervenit intermissos labores rursum alacriter suscepit. At quindecim post menses nova in Christianos persecutio exorta est, opera praesertim Brahamanorum, qui illic sacerdotalis ordinis principes sunt, quique timebant ne, crescente in dies Christianorum numero, propria religio non solum decresceret, sed omnino corrueret. Illis accessit mulier quaedam, ipsius Maravorum Reguli neptis, quae una ex cuiusdam dynastis, cui nomen *Tiriadeven,* iam cathecumeni, uxoribus erat, quaeque adversum Ioannem De Britto valde querebatur, eo quod iste dynasti illi persuaserat eam, cum aliis uxoribus ad polygamiam vitandam, dimittere, una tantum retenta, cui primum nupserat. Unde, gravissimam, quam illa aestimabat, iniuriam ultura, totam Regulo rem detulit. Qui, furore percitus, Ioannem in carcerem denuo detrudere iussit. Iste itaque in oppido *Muni,* ubi tunc versabatur, eadem qua praedixerat die, postquam primo mane sacra operatus fuerat, in vincula coniectus, ad aliud oppidum cui nomen *Arumandari,* trahitur, ibique, ad triumphalem idolorum currum alligatus, usque ad solis occasum omnium ludibriis et irrisionibus patuit; noctu vero ferreis compedibus adstrictus, militibus custodiendus traditur. Deinde *Ramanadaburam,* regiam tunc temporis sedem, trium dierum itinere non sine gravissimis conviciis ac vexationibus ductus, ad extremum cui praestolabatur agonem precibus aliisque piis exercitiis se paravit, Dei auxilium implorans ut ad mortem usque fortis in bello perseveraret. Litteris quoque missis, reliquos Missionales enixe deprecatus est, ne quis sive Lusitanus sive alterius Nationis apud Maravarum Regulum suam deposceret libertatem. Pluribus elapsis diebus una cum sociis coram Regulo ductus est, qui, blandimentis ac minis frustra adhibitis ut Ioannes cuiusdam idoli nomen invocaret, eum Christi fidem intrepide professum, capite damnavit. Timens vero ne quis in populo tumultus concitaretur, si in ipsa urbe regia, in qua plurimos erga Ioannem bene animatos noscebat, ultimum supplicium subiret, illum ad fratrem suum, cui nomen *Obbedaven,* transmisit in *Oriur* urbem, ut ibi morti traderetur. Quam in urbem cum pervenisset, ad supplicii locum ductus, ferventibus sublatis ad Deum precibus, forti animo hilarique vultu sese carnifici obtulit, qui eius caput uno ictu obtruncavit. Sicque fortissimus heros die quarta Februarii mensis, anno mil-

lesimo sexcentesimo nonagesimo tertio ad superos evolavit ut sibi paratam Martyris coronam acciperet. Manibus deinde pedibusque praecisis, truncum corpus, capite ei adiuncto, stipiti infixum fuit. Per dies octo Martyris corpus e stipite pependit, quo temporis spatio imbres continui ceciderunt, quorum impetu corpus in terram delapsum, a feris pene voratum fuit. Residua tamen fuerunt ossa et caput, quae a christianis aliquot, non sine vitae discrimine collecta ac Missionum Superiori delata, in privato Goani Collegii loco sepulta sunt. Statim post nobilissimam Ioannis mortem, eius sanctitatis et martyrii fama inchoavit et in dies aucta est; cum autem prodigiis confirmata fuerit, quae a Deo, Martyris intercessione, patrata ferebantur, adeo percrebuit, ut Meliapurensis Ordinarius et viciniorum locorum Episcopi, Goanus in primis et Coccinensis, opportunum duxerint de prodigiis illis, idoneorum testium fide interposita, acta conficere; quae postea ad S. Sedem transmittere maturarunt. Iam itaque anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo fel. rec. Clemens Decimus secundus, Praedecessor Noster, de hac tota re quaerendum esse constituit et die prima Iulii mensis eiusdem anni S. R. E. Cardinalibus S. Consilio legitimis ritibus tutandis praepositis investigandum dedit « *an constaret de causa martyrii in casu et ad effectum* ». Res vero non ultra tunc progressa est ob aliam subortam quaestionem de *ritibus Malabaricis,* ut vocari solent, quibus De Britto, aliorum S. I. Missionalium exemplum sequutus, et ipse utebatur. At Benedictus Papa Decimusquartus, de eiusdem S. Congregationis Cardinalium consilio, die secunda Iulii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto edixit obiectos ritus adhibitos non fuisse, ut penes Gentiles, in signum *protestativum,* sed mere fuisse actus vitae civilis; quare decrevit non obstare quominus in Ioannis De Britto causa ad ulteriora procederetur. Hisce igitur difficultatibus remotis, super quod diximus dubio disceptandum erat in praeparatorio coetu, nisi repente oborta fuisset procella Lusitanam Societatis Iesu provinciam percutiens ac paulo post supervenientes vicissitudines, quae universam Societatem divexarunt. Hac vero restituta, omnique impedimento iam cessante, de causa denuo cogitari potuit, et S. Rituum Congregationis praeparatorius coetus die octava aprilis, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo ad Vaticanas aedes ad hoc fuit collectus. Die autem decimasexta eiusdem mensis et anni in generalibus ipsius S. Congregationis comitiis coram fel. rec. Pio Papa Nono habitis, a cl. m. Aloisio Cardinale Lambruschini, eiusdem S. Congregationis Praefecto, loco et vice absentis Cardinalis Della Genga Sermattei, Causae Relatoris, quaestione proposita, omnes tum Patres Cardinales, tum S. Congregationis Con-

sultores suffragia singuli protulerunt. Quibus attente auditis, Summus Pontifex suam dicere sententiam distulit, ac benignissimis verbis eosdem dimittens illos praesertim hortatus est humiles Deo preces effundere ut in huiusmodi gravissimo iudicio superni luminis gratia sibi concederetur.

Die autem vicesima nona Septembris, Principi Militiae Caelestis sacra, novi Foederis Hostia piissime litata, iterumque superni luminis auxilio implorato, petiit Hospitium Innocentianum Apostolicum ad Tiberis oram, ubi, dum in minoribus erat, vigilantissimi Praesidis munus expleverat, et, accitis praefato Cardinale Lambruschini, Episcopo Portuensi, S. Rufinae et Centumcellarum, atque Andrea Maria Frattini S. Fidei Promotore Generali una cum eiusdem S. Congregationis a Secretis, solemniter edixit: *Constare de Martyrio et Causa Martyrii Ven. Servi Dei Ioannis De Britto, multis signis a Deo illustratis et confirmatis, ac propterea in hac Causa tuto procedi posse ad ulteriora, quin deveniatur ad discussionem aliorum miraculorum praeter signa praedictis in Congregationibus proposita et examinata.* Anno autem insequenti, die vicesima septima Ianuarii mensis, in generali S. Rituum Congregationis conventu, coram eodem Summo Pontifice habito, disceptatum est an ad solemnem Servi Dei Beatificationem tuto procedi posset et singuli qui aderant sua protulerunt suffragia. Quibus inspectis, idem Decessor Noster, die decimaseptima insequentis Februarii, ad Collegium Romanum Societatis Iesu se contulit, ibique in Oratorio S. Francisci Xaverii, « de Caravita » nuncupato, adstantibus Patribus Cardinalibus, Praelatis et Officialibus S. Rituum Congregationis ac pluribus ex Societatis Iesu Moderatoribus, solemniter decrevit « *tuto procedi posse ad solemnem ven. Servi Dei Ioannis de Britto, Martyris, beatificationem* », ipsumque Decretum per Apostolicas Litteras forma *Brevis* publici iuris fieri iussit. Itaque paulo post in Patriarchali Basilica Vaticana Beatificationis solemnia, adstante frequenti clero et populo, die vigesima prima Augusti mensis, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, splendidissime celebrata fuerunt.

Quum autem post indultam B. Ioannis de Britto venerationem quaedam assererentur nova miracula, illo intercedente, a Deo patrata, supplices pro Causae reassumptione ad ipsius Beati canonizationem obtinendam Apostolicae Sedi porrectae sunt preces. Dubio de hac re S. Rituum Congregationi proposito et affirmative soluto, praefatus Praedecessor Noster Pius Nonus die quarta Maii, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto reassumptionis Causae Commissionem propria manu signavit.

At anno tantum millesimo nongentesimo trigesimo nono, die vigesima septima Februarii, ad Episcopum Portugallensem, in cuius dioecesi duo proposita miracula evenisse dicebantur, Remissoriales Litterae missae sunt, ut de iisdem miraculis processus apostolica auctoritate institueretur. Cuius processus actis ad S. Rituum Congregationem delatis, de eorum iuridica validitate die decima septima Octobris illius anni disceptatum est, atque die vigesima octava Februarii insequentis anni approbationis Decretum prodiit. Quorum miraculorum haec est brevis historia :

Prior in loco *Paredes* vulgo nuncupato, non longe a *Portucalia* urbe, anno millesimo nongentesimo trigesimo septimo ita evenit. Maria Gloria Ferreira da Rocha Malheiro gravissima periviscerite abdominali dextera laborabat uti non solum radiographicis tabulis sed et chirurgica sectione confirmatum fuerat. Morbus eousque processerat ut nulla vitae spes amplius effulgeret. Quare sacro viatico extremaque unctione fuerat roborata. Parochus, qui magnam in Ioannem De Britto devotionem alebat, apud aegrotam eiusque virum institit, ut ad B. Mariae Virginis sanctuarium de Fatima illa, si vellet, accederet quidem, sed sanationem eo animo postularet ut haec pro eiusdem Beati canonizatione assequenda valeret. Missae quoque sacrificium eodem animo Parochus ipse celebravit. Maria Gloria, Parocho obediens, motoria raeda, ad lecti formam redacta, caute Fatimam vecta est, ibique miram sanationem obtinuit, omnibus morbi adiunctis illico pleneque cessantibus. In recuperata valetudine Maria Gloria perseveravit. In arte periti hanc sanationem ultra naturae leges concorditer edicunt.

Altera sanatio in loco vulgo *Leça de Palmeira,* prope eamdem *Portucalia* urbem anno millesimo nongentesimo trigesimo octavo contigit. Decennis puer Ioachim Antonius Monteiro Marques da Silva, Iulio mense, in dextero calcaneo dolore tentari coepit, qui, cum ingravesceret, clinice et radiographice agnitus fuit a tabifica tuberculari osteite, quae os continenter exedebat, procedere. Si curationes viresque naturae prospere cessissent, sanatio non minus unius anni spatio, medentium iudicio, obtineri potuisset. Morbus vero in peius ruebat, nec spes ulla habebatur ut depelleretur. Incassum naturae subsidiis cedentibus, infirmus, eius mater aliique fervidas effuderunt preces, B. Ioannis De Britto patrocinium apud Deum implorantes ad sanationem obtinendam. Mater summo mane diei decimae nonae Septembris aegro pedi imaginem cum particula de Beati reliquiis apposuit. Paulo post puer placido somno corripitur. Circa horam octavam cum dimidio expergefactus, omnino sanatum se sentit, e lecto surgit, pedem pavimento affigit vehementer, quin dolore

afficiatur. Primus ex medicis qui sanationem probavit fuit ipsius aegroti pater, ex marino itinere inopinate tunc reversus. Miraculum conclamant medentes tresque periti ex officio a S. Rituum Congregatione adlecti.

De utraque hac sanatione in antepreparatorio, quem vocant, coetu die septima Ianuarii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo, coram Venerabili Fratre Nostro Carolo Salotti Cardinale Episcopo Praenestino, Causae Ponente, habito, disceptatum fuit, dein in praeparatorio, die sexta Maii eiusdem anni, demum in generali coram Nobis die decimaseptima Iunii habito, in quo, cum praefatus Cardinalis dubium proposuisset « *An et de quibus miraculis post indultam Beato Ioanni De Britto ab Apostolica Sede venerationem in casu et ad effectum de quo agitur constet* », Patres Cardinales, Officiales Praelati et Consultores S. Rituum Congregationis sua singuli tulere suffragia, quibus exceptis Nos iudicium Nostrum edere distulimus ut interim Deo preces funderentur, quo uberior divini luminis claritas in re tanti momenti Nobis praesto esset. Diem autem trigesimam Iunii mensis eiusdem anni, B. Pauli Apostoli, qui pro Christi amore sanguinem generose effudit, memoriae dicatam elegimus ut B. Ioanni De Britto, martyrii gloria iam honestato, novum adderetur decus. Quare, ad Nos arcessitis quem supra memoravimus Cardinale Salotti, Causae Relatore, atque dilectis Filiis Salvatore Natucci, S. Fidei Promotore Generali et Alfonso Carinci, S. Rituum Congregationis Secretario, sacrosancta Hostia prius litata, solemniter ediximus : « *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Ioannis De Britto intercessionem patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione cum Mariae Gloriae Ferreira da Rocha a peritonite abdominali dextera, tum Ioachim Antonii Monteiro Marques da Silva ab osteite tuberculari calcanei dexteri* ». Quod decretum cum eadem die inter S. Rituum Congregationis Acta relatum fuisset, ad legitimum huius Causae exitum hoc unum dubium excutiendum supererat, an scilicet, duobus miraculis rite approbatis, ad summum honorum fastigium, quibus Ecclesia praeclarissimos filios suos, qui tanta gloria digni iudicantur, augere solet, etiam B. Ioannes De Britto tuto extolli posset. Quod dubium in generalibus praefatae Congregationis comitiis, decimaquinta die Iulii mensis coram Nobis coactis, idem Carolus Cardinalis Salotti proposuit, cui unanimo affirmativo suffragio Patres Cardinales, Officiales Praelati et Consultores responderunt. Nos, vero, prout negotii gravitas postulabat, Nostram aperire mentem distulimus ad diem quintamdecimam Augusti eiusdem anni, Beatissimae Virginis Mariae, Martyrum Reginae triumphali in Caelos ingressui consecratam. Quo autem die praefatis Cardinale Salotti, Salvatore Natucci et Alfonso Carinci in Vaticanas

aedes apud Nos convocatis, Sacro prius oblato, decrevimus: « *Tuto procedi posse ad B. Ioannis De Britto Canonizationem* ». At immane bellum quod universum pene orbem concussit, quominus ulteriora, uti de more, peragerentur impediit. Denique duos post annos ab edito quod modo diximus decreto, bellico tandem reposito furore, quamquam veri nominis pax nondum affulgebat, die decima octava Februarii, superiore anno, venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales in Consistorium *secretum* apud Nos coegimus. In quo prius praeclarissimos duo ac triginta viros de re catholica deque patria cuiusque sua meritissimos, e quinque orbis partibus in romanum clerum adscitos, sacra decoravimus purpura, atque haud paucis vacantibus Ecclesiis suos Pastores providimus. Deinde venerabilis Frater Noster Carolus Cardinalis Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectus, disertum habuit sermonem de vita, gestis et miraculis tum B. Ioannis De Britto, Martyris, tum B. Bernardini Realino, Confessoris, utriusque e Societate Iesu, B. Iohannae Elisabeth Bichier des Ages, Virginis, confundatricis Filiarum a Cruce, vulgo Sororum S. Andreae, ac de B. Franciscae Xaveriae Cabrini, Virginis, Fundatricis Sororum Missionalium a S. Corde Iesu, atque, actis singillatim recensitis quae in Causis Beatificationis et Canonizationis eorumdem Beatorum et Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admiserat et approbaverat. Nos vero quid de propositis Causis sentirent Nobisque alius ex alio quid opinaretur ultro aperteque communicare vellent ab ipsis exquisivimus. Illi quidem legitimam earumdem Causarum definitionem magno Ecclesiae decori et emolumento cessuram uno ore testati sunt. Paulo post, die videlicet eiusdem Februarii mensis vigesima prima *publicum* Consistorium in Vaticana Basilica solemniter celebratum est, in quo dilecti Filii Consistorialis Aulae Advocati pro praefatis Beatorum ac Beatarum Canonizatione diserte peroraverunt: pro Beato autem Ioanne De Britto dilectus Filius Philippus Re orationem habuit. Nos vero quamvis rem properare vehementer cuperemus non antea, diximus, de ea decernere velle quam, iuxta sapientissimum Praedecessorum Nostrorum institutum, in Consistorio *semipublico* tum Purpurati Patres iterum, tum Sacrorum Antistites in Urbem adfuturi suam mentem aperirent. Mandavimus igitur ut singulis Antistitibus commentarii de eorumdem Beatorum ac Beatarum causis a S. Rituum Congregatione mitterentur, ut ipsi, re plene cognita, suam ferre sententiam possent.

Die autem decimatertia Iunii mensis Consistorium *semipublicum* in consueta Vaticani Palatii aula habitum est, cui non pauci adfuere Antistites, ex vicinioribus praecipue dioecesibus, ipsique, una cum am-

plissimo Cardinalium Collegio, in sententiam unanimi convenerunt ad illorum Beatorum ac Beatarum canonizationem quamprimum deveniendum. Quibus suffragiis laeto animo exceptis, decrevimus quattuor illos Coelites summis decorandos sanctitatis honoribus, statuentes ut canonizationis sollemnia in Vaticana Basilica pro B. Francisca Xaveria Cabrini die septima Iulii mensis illius anni; pro ceteris quum primum opportunitas daretur celebranda forent. Omnes denique hortati sumus ut interea supplices Deo preces extollere non desisterent ut ex hisce faustitatis eventibus cum Catholicae Ecclesiae tum humanae consortioni universae uberes proventuri essent fructus. De quibus omnibus instrumenta dilectis Filiis Protonotariis Apostolicis conficienda mandavimus.

In semipublico autem Consistorio die decima septima Aprilis mensis proxime elapsi canonizationem B. Ioannis De Britto, cui in eadem caeremonia iunximus B. Bernardinum Realino, Societatis Iesu et ipsum sodalem, atque B. Ioseph Cafasso, ad diem hanc vigesimam secundam Iunii praefinivimus. Qua die, cunctis saecularis et regularis Cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, Abbatibus, Episcopis et Archiepiscopis non paucis, nec non sacro Cardinalium Collegio praeeuntibus, Nos ipsi Vaticanam Basilicam, magnifico ornatam apparatu, innumeris resplendentem lychnis et maxima fidelium multitudine iam stipatam, supplicantium ritu ingressi sumus, atque, brevi prius ante altare maximum effusa prece, ad Nostram Cathedram perreximus ibique sedimus. Tunc, praestita prius Nobis, uti mos est, ab adstantibus Cardinalibus obedientia, venerabilis quem supra memoravimus Frater Noster Carolus Cardinalis Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectus et huic Congregationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Aloisio Philippo Re, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* ac *instantissime* a Nobis expostulavit ut B. Ioannem De Britto Martyrem ac Bb. Bernardinum Realino et Ioseph Cafasso Confessores in Sanctorum album referre dignaremur. Nos autem, Paracliti Spiritus lumine una cum adstantibus prius implorato, ut ab Eo menti Nostrae superni luminis copia magis magisque affulgeret, in Cathedra sedentes, inerranti Petri magisterio fungentes, solemniter pronunciavimus: « *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatos* Ioannem De Britto *Martyrem,* Iosephum Cafasso *et*

Bernardinum Realino *Confessores Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoria quolibet anno, die eorum natali, nempe Ioannis De Britto die quarta Februarii, Iosephi Cafasso die vigesima tertia Iunii, Bernardini Realino die secunda Iulii pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti.* Amen ».

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes praefati Cardinalis Salotti, per eumdem Consistorialis Aulae Advocatum Aloisium Philippum Re Nobis porrectis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus atque dilectis Filiis Protonotariis Apostolicis ut de hac ipsa Canonizatione publicum instrumentum construerent mandavimus. Debitas deinde omnipotenti Deo gratias egimus, hymnum *Te Deum* cum confertissima fidelium multitudine canentes, atque, novensilium Sanctorum patrocinio primum invocato, breve de ipsorum teximus elogium omnes adhortantes ad eorum memoriam recolendam eorumdemque praesertim virtutes imitandas. Apostolicam postea benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam adstantibus peramanter impertivimus. Porro ad altare accessimus incruentum sacrificium pontificaliter oblaturi, sicque huius Canonizationis ritus felicem suum habuit exitum.

Quae omnia cum vobis, fideles, nuntiata sint, Nobiscum omnes gaudete; sed potissimum gaudeat nobilissima Lusitanorum gens, tantum ope praesertim Principum christianae fidei studio flagrantium, et *Sanctorum Missionalium inclitae phalangis* in catholica religione tuenda ac dilatanda, de Ecclesia benemerita, cui ob supremam praeclari sui civis glorificationem novum additur decus atque incitamentum; gaudeat etiam Loyolaea Societas, cui nova nunc gloria suis antiquis adiungitur fastis. Ab universis dein catholicis omnipotenti Deo gratiae agantur, Cui, non sine certe providentissimo consilio, S. Ioannis De Britto Canonizationem differre placuit ad haec Nostra usque tempora, quibus nova in Ecclesiam persecutio plurimis in orbis partibus saeviens non unam praebet ocasionem invictam ipsius Martyris constantiam imitandi usque, si necesse sit, ad sanguinis effusionem.

Novensilis itaque S. Ioannis De Britto hisce Litteris consecrata memoria, omnibus quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula quae supra diximus iterum confirmamus, roboramus, statuimus, decernimus atque universae Ecclesiae Catholicae denunciamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo

munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem praesentibus Litteris haberetur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Si quis autem Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae ausu temerario infringere vel eis contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die vicesimasecunda Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis Marchetti Selvaggiani, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego Eugenius Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis Tisserant.

✠ Ego Clemens Episcopus Veliternus Cardinalis Micara.

✠ Ego Ioseph Episcopus Albanensis Cardinalis Pizzardo.

✠ Ego Benedictus Episcopus Praenestinus Cardinalis Aloisi Masella.

Ego Alexander tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis Verde.

Ego Aloisius tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Lavitrano.

Ego Petrus tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Fumasoni Biondi.

Ego Fridericus titulo S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis Tedeschini.

Ego Franciscus tituli S. Caeciliae Presbyter Cardinalis Marmaggi.

Ego Dominicus tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis Jorio.

Ego Ernestus tituli S. Sabinae Presbyter Cardinalis Ruffini.

Ego MAXIMUS tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego ADEODATUS IOANNES tituli S. Priscae Presbyter Cardinalis PIAZZA.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Cardinalis Diaconus BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*
Georgius Stara Tedde, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA
die secunda mensis Februarii, anno decimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIV, n. 22. - Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE LULUA ET KATANGA
(LACUS MOËRI)

E VICARIATU APOSTOLICO DE LULUA ET KATANGA TERRITORII PARS DISTRAHITUR ET NOVA EXINDE PRAEFECTURA APOSTOLICA ERIGITUR, « LACUS MOËRI » NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Congo Belgico Vicariatus Apostolicus exstat de Lulua et Katanga, a fel. rec. Pio Undecimo, Praedecessore Nostro, Apostolicis sub plumbo Litteris *Libenti animo,* die vicesima sexta Februarii, anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto datis, erectus, et Ordinis Fratrum Minorum sodalium curis commissus; qui cum peramplo redundet territorio,

opportunum videtur, ut illic evangelizationis operi aptius consuli possit, territorii partem ex eo disiungere et novam exinde Praefecturam Apostolicam constituere. De consilio itaque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine e Vicariatu Apostolico de Lulua et Katanga partem, quae ad orientem solem spectat, distrahimus, limitibus prout sequitur assignatis eamque, in Praefecturam Apostolicam, sub *Lacus Moëri* nomine, erigimus et dilectorum Filiorum Ordinis Fratrum Minorum Sodalium, qui iamdudum illic sedulo studio adlaborant, apostolicis curis committimus ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum. Novae autem huius Praefecturae Apostolicae fines hi erunt: ad orientem et ad septentrionem: limes politicus inter Congum Belgicum et Rhodesiam Septentrionalem per lacum *Moëro* a meridie ad septentrionem versus; dein *Luvua* fluminis cursus, memorati lacus emissarii, usque ad locum, cui nomen *Kibanda;* a septentrione ad occidentem versus linea recta, quae a *Kibanda Sungulam* attingit; dein altera linea recta, quae a *Sungula Lualaba* flumen attingit apud gradum 26^{um} 54' longitudinis orientalis meridiani de *Greenwich;* ad occidentem *Lualaba* fluminis cursus usque ad locum, quo gradus 26^{us} 23' longitudinis orientalis intersecat gradum 8^{um} 15' latitudinis australis; ex hoc autem loco linea recta usque ad ostium *Lufira* fluminis in ripa meridionali lacus ibidem exstantis; inde cursus fluminis *Lufira* usque ad 9^{um} parallelum circulum latitudinis australis; ad meridiem: idem 9^{us} parallelus usque ad gradum 27^{um} 50' longitudinis orientalis; hinc linea recta usque ad *Lufukwe* fluminis scaturigines; tandem huius fluminis cursus usque ad eius ostium in lacum *Moëro.* — Limites itaque finitimarum Missionum cum descriptis memoratae novae Praefecturae Apostolicae finibus congruent. Novae autem Praefecturae Apostolicae Lacus Moëri eiusque pro tempore Praefectis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transuumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus ostensis haberetur.

Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die octava mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 28. - Al. Trussardi.

II

BATAVIENSIS
(SUKABUMENSIS)

E VICARIATU APOSTOLICO BATAVIENSI PARS DISTRAHITUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA SUKABUMENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in insula Java melius aptiusque evangelico operi consuli possit, peropportunum visum est peramplum Vicariatus Apostolici Bataviensis territorium bipartire et novam ibi Praefecturam Apostolicam constituere, aliis concredendam catholicae fidei praeconibus. Praehabito itaque favorabili voto venerabilis Fratris Georgii de Jonghe d'Ardoye, Archiepiscopi titularis Misthiensis et in Archipelago Indonesiano Delegati Apostolici, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositurum consilio, atque suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae

Nostrae potestatis plenitudine a Vicariatus Apostolici Bataviensis territorio praefecturam civilem de *Bantang* et subpraefecturas civiles de *Soekaboemi* et de *Tjandoer* distrahimus et novam ex isto seiuncto territorio Praefecturam Apostolicam erigimus et constituimus, cui nomen erit *Sukabumensis*. Novensilem autem hanc Praefecturam dilectorum Filiorum Ordinis Fratrum Minorum sodalium curis, qui istic iam naviter ac fructuose adlaborant, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, committimus.

Eidem autem Praefecturae Sukabumensi eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in eccelsiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostoolrum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quodragesimo octavo, die nona Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Loco ✠ Plumbi

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 80. — Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

COLLEGIALIS ET PRAEPOSITURALIS ECCLESIA SANCTI IOANNIS BAPTISTAE, IN CIVITATE « BUSTO ARSIZIO » INTRA FINES MEDIOLANENSIS ARCHIDIOECESIS, TITULO AC DIGNITATE BASILICAE MINORIS DECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Apud Christianum populum tenaci celebrique fama etiam nunc iure meritoque gaudent, tum in Italia tum in Helvetia, loca omnia, civitates nempe et oppida et vici, immo et super asperis montibus remoti pagi; quae universa loca Sanctus Carolus Borromaeus, Mediolanensis Cardinalis Archiepiscopus, aestuanti incensus animarum studio, pro sacro pastorali officii peragravit, sanctitate collustrans, recreans benedictione, ita ut magnum exinde Fides incrementum susceperit, maximam incolae hauserint utilitatem. Quod quidem accidisse videtur oppido, cui nomen hodie « Busto Arsizio » vulgo est, in Mediolanensi Archidioecesi posito, quodque in dies percrebuisse constans est traditio, ex quo Sanctus Carolus, anno MDLXXXII, certam illius prosperitatem feliciter praesentiens, hanc ipsam inchoavit, Canonicorum Collegio et Praeposituralí dignitate ad Ecclesiam paroecialem « bustensem » iure translatis. Hoc Sancti Archiepiscopi decretum Cleri populique « bustensis » pietati praemium quoque evasit. Christiana enim eorum Fides antiquissima ac tenacissima ex monumentis apparet: saeculo IX exaedificata fuerat pristina Sancti Ioannis Baptistae Ecclesia, in cuius locum, saeculo XVII, hodierna suffecta et anno MDCXLVI consecrata fuit. Amplitudine ac pulchritudine insignis, marmoreis fulget ornamentis, arte renidet, sanctis fervet operibus. Quandoquidem, temporis decursu, Canonici, praeeunte Praeposito-Parocho, atque fideles maximum iugiter adhibuerunt studium, ut eorum Ecclesia Praeposituralis et Collegialis, cuius Altare maximum a Cardinali Archiepiscopo Iosepho Pozzobonelli, rec. mem., anno MDCCLIII, fuit consecratum, stylo « classico » cum tholo, marmoribus, picturis et ligneis subselliis mira confectis arte pulchrior in dies appareret atque sedes prima et origo fieret piarum institutionum. Fulget in ea Fides, tum in Eucharistico ac Mariali cultu, tum in veneratione erga Sanctum Ioannem Baptistam, Patronum, Sanctum Carolum, nec non Beatos « bustenses », Iulianam nempe ac Bernardinum; tum denique in munificis fidelium eleemosynis atque in sacris ritibus, sollemnioribus effectis Canonicorum praesentia,

quibus Decessor Noster Pius Pp. X, fel. rec., privilegium violaceum palliolum seu « mozzettam » induendi benigne concessit. Fulget insuper in ipsa Ecclesia christiana caritas, quae senibus nec non pueris ac puellabus parentibus orbatis sollerter largeque quotidie providet; fervent paroecialia Opera pro fidelibus recte christianeque efformandis ac tutandis, a desideratissimo Iosepho Tettamanti, Praeposito-Parocho, instituta, e quibus Actionis Catholicae Consociationes exortae sunt ac mirifice adhuc virescunt. Cuius Templi historiam artemque admirans, divini cultus studio vitaeque christianae incremento permotus, dilectus Filius Noster Alaphridus Ildefonsus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Schuster, Mediolanensis Archiepiscopus, nomine quoque eiusdem Ecclesiae Curionis, Canonicorum universique populi, enixas Nobis adhibuit preces ut « Bustensis » Ecclesia Praeposituralis atque Collegialis ad dignitatem Basilicae Minoris a Nobis erigeretur. Nos autem, attenta eiusdem Purpurati Patris amplissima commendatione, « Bustensium » constantem flagrantemque Fidem, quae tam grande pietatis opus confecerat, perenni rependere praemio statuimus; ideoque, audito etiam Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam Praeposituralem et Collegialem, Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicatam atque in Civitate « Busto Arsizio » vulgo nuncupata positam, in Mediolanensi Archidioecesi, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus honoribus ac privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Februarii, anno MCMXXXVIII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

ECCLESIA PRAEPOSITURALIS AC PAROECIALIS, IN HONOREM S. MARTINI EP. DEO DICATA, CIVITATIS « MAGENTA » IN MEDIOLANENSI ARCHIDIOECESI, HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ero Deus vester, vosque eritis populus meus »: quotiescumque his vel similibus verbis in Vetere Testamento Deus Israëlitas allocutus fuerat, novum foedus cum eo inibat, nova ei tribuebat dona, dum Populus « electus », « peculiaris », Deum sanctum et vivum secundum Legem Moysis colendo, « sanctus Domino Deo suo » et ipsius Dei « haereditas » feliciter sapienterque fiebat. Non aliter, sed perfectius, in Novo Testamento fit: quo enim magis corde et animo Deo suo coniunctus est Populus Christianus, quo magis bonis operibus, potius quam verbis, Eum prosequitur, eo arctiora vincula caritatis fiunt, tamquam inter filios et Patrem, fulgentior efficitur Fides splendidiorque pietas. Quod quidem, prout Nobis innotuit, accidit in Civitate « Magenta », intra Mediolanensis Archidioeceseos fines: populus enim Magentinus, avitam Religionem Catholicam tam fideliter profitetur, ut non tantummodo pietate moribusque Deum impense glorificet, sed etiam mira constantique liberalitate, nullis quoque incommodis remissis, Templum magnitudine ac pulchritudine insigne Deo in honorem Sancti Martini Episcopi haud multis abhinc annis exaedificaverit. Rettulit enim Nobis, in supplici libello, dilectus filius Aloysius Crespi, eiusdem Magentinae paroeciae hodiernus Praepositus-Parochus, novam splendidioremque Praeposituralem Ecclesiam, vetusta pro aucto Christifidelium numero nimis parva effecta, fideles, Caesaris Tragella tunc temporis sollertis Curionis monita prosequutos, flagrante pietate maximoque studio certatim inchoasse, atque perfecisse, superadditis pretiosis ornamentis, ad aetatem usque nostram. Anno etenim MCMIII a desideratissimo S. R. E. Cardinali Andrea Carolo Ferrari, Mediolanensi Archiepiscopo, sollemniter consecrata, supra memorata Ecclesia praeposituralis, graeco stylo exstructa, perinsigni tholo praelongaque sacra turri ornata, maiestate ac decore pulcherrima apparuit, atque intus, temporis progressu, sive picturis, sive marmoreis, aeneis, ligneis arte confectis operibus, tum ab antiquis magentinis, tum a recentioribus illustribusque artificibus, sive denique quam plurima sacra supellectili, affabre locupletata est. Superiore insuper anno, sumptibus a fidelibus liberaliter oblatis, fideliumque maximo concursu, consonus octo campanarum concentus, infensissimo bello vixdum composito, huius generis

in Italia primus, a Venerabili Fratre Dominico Bernareggi, Famagustano titulari Episcopo, Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis Auxiliari, antea Magentino Praeposito, sollemniter consecratus fuit. Magentinus denique populus, Parocho Cooperatoribusque praeeuntibus, non solum magnificentiam decoremque Domus Domini curat provehitque, sed etiam, tum Eucharistica Marialique pietate, tum erga sanctum Martinum Episcopum, Patronum, sanctamque Crescentiam Virginem et Martyrem, cuius Corpus in eadem Ecclesia asservatur, devotione, excellit atque eminet. Quibus omnibus iure perpensis, hodiernus Praepositus-Parochus, quem supra memoravimus, nomine quoque totius Cleri universique Magentini populi, per dilectum Filium Nostrum Alaphridum Ildefonsum Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Schuster, Mediolanensium Archiepiscopum, enixas Nobis preces adhibuit ut Ecclesiam Praeposituralem Civitatis vulgo « Magenta » titulo ac privilegiis Basilicae Minoris decorare dignaremur. Nos porro, ad publicum tot tantisque Cleri populique meritis praemium tribuendum, atque ad augendam fovendamque erga Deum pietatem, huiusmodi votis precibusque annuendum libenti animo censuimus. Qua propter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefectus, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Praeposituralem ac Paroecialem, Deo in honorem Sancti Martini Episcopi dicatam atque in Civitate « Magenta » positam, in Mediolanensi Archidioecesi, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Maii, anno MCMXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DE LOANGO
(de POINTE-NOIRE)

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS DE LOANGO DEINCEPS « DE POINTE-NOIRE » APPELLABITUR.

Cum hisce postremis annis urbs de *Pointe-Noire*, intra fines Vicariatus Apostolici de Loango sita, ob magnitudinem negotiorum et momentum in re civili prae ceteris antecellat, opportunum visum est Sacrae Congregationi de Propaganda Fide ita immutare nomen supradicti Vicariatus Apostolici ut deinceps appellaretur Vicariatus Apostolicus de *Pointe-Noire*.

Quam sententiam, Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII in audientia diei 20 mensis Ianuarii vertentis anni ab infrascripto huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto relatam, Ipse Summus Pontifex, benigne excipiens, ratam habuit et confirmavit, atque praesens ad id Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 20 mensis Ianuarii A. D. 1949.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI ANNAE MARIAE JAVOUHEY, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM S. IOSEPH DE CLUNY.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? (Lc. 12, 49) Dominica haec verba cor Venerabilis Annae Mariae Javouhey adusserunt eamque ad tanta facinora impulerunt, quae vix in fortissimo ac sancto viro possibilia suspicari forent. Ipsa enim, praeterquamquod Institutum Sororum a S. Ioseph Cluniaci fundaverat, in gallica Guyana, celeberrimarum Paraguaianarum Reductionum ad instar quae felices reddiderant Indios, quocumque militaris et civilis auctoritatis auxilio reiecto, sola, quasi iudex ac suprema moderatrix, materno utens amore, libertos in civile consortium congregare, eorum feritatem depravationemque corrigere, humanitatem elevare, lites compescere, matrimonia conciliare, eorum iura contra quoscumque fortiter tutari, christianam fidem legemque in eorum cor valuit inserere.

Atrocibus calumniis fuit quidem impetita, ab iis praesertim qui, venaliciariam exercentes, amplas divitias ex emptione et venditione servorum sibi comparabant. Verum fortissima mulier, Deo confisa, animi motus heroice compescens, gravissimas iniuste sibi inflictas poenas humiliter sustinuit. Tantam animi virtutem, cum dum adhuc vivebat, tum post mortem, quam piissime die 15 Iulii a. 1851 oppetiit, Deus munifice rependit. Etenim non modo eius innocentia detecta effulsit, sed etiam sanctitatis fama, qua seu ante obitum seu post fruita est, immo et heroicae virtutes ab hac Sacra Congregatione recognitae sunt. Nec satis: duae enim sanationes ex pluribus gratiis divinisque favoribus fuerant exceptae, quae miraculo tribuendae visae sunt, de quibus in hoc decreto est sermo, quaeque viam ad eius beatificationem sternunt.

I. Soror Veronica a Sanctissimo Salvatore, in saeculo Maria Debarnot, Augustodunensis, ex Instituto a Venerabili Anna Maria Javouhey

condito, ab anno 1905 hepatis morbo tentari coepit, qui adeo invaluit, ut Martio mense anni 1908 a medente insanabilis fuerit edictus ac lethalis. Incassum itaque cedentibus omnibus medicis subsidiis, Venerabilis fundatricis patrocinium implorari coepit et feliciter. Die enim festo S. Ioseph Patriarchae, peculiaris Instituti patroni, Veronica in instanti perfecte sana facta est, nec in eundem morbum amplius recidit. Cum medens statim, tum periti physici, qui eam post triennium accurate exploravere, nullum praegressi morbi relictum invenerunt, eamque omnino sanam asseruere. Medens, alii de visu testes, atque tres periti ex officio miraculum, quod Cluniaci evenit, sine haesitatione agnoscunt.

II. Soror Maria a S. Vincentio, in saeculo Leonia Rameaux, nata in oppido Hauteville, in dioecesi Divionen., Instituti S. Ioseph « de Cluny » sodalis, in urbe Dakar, in Apostolico Vicariatu tunc Senegambiae nunc de Dakar commorans, die 17 Ianuarii anno 1927, pondus aliquod elevans, crepitum in collo sensit cum vehementi dolore. Sequenti die grave aneurisma enatum fuisse duo medici edixerunt, eamque in mortis periculo constitutam. Quare die 19 sacro infirmorum oleo fuit linita, atque novendiales preces, ut per Venerabilis Annae Mariae intercessionem infirma valetudinem recuperaret, sunt inceptae. Die 22 post placidum somnum expergefacta, Soror Maria sanam omnino se sensit, mirantibus medentibus aliisque de visu testibus, nec amplius in eundem morbum recidit. Tres ex officio periti cum singulatim, tum in unum collecti, sanationem hanc divinae tribuunt actioni.

De primo miraculo coram desideratissimo Cardinali Pignatelli Granito di Belmonte, in Congregatione Antepraeparatoria die 8 Novembris 1938 habita, actum est una cum alio asserto miraculo, quod fuit sepositum. De altero, quod huic suffectum est, Antepraeparatoria die 25 Iulii anno 1939 habita est: de utroque Praeparatoria die 20 Novembris anno 1940: demum Generalis coram Ssmo D. N. Pio Papa Duodecimo die 9 Novembris anni huius: in qua infrascriptus Cardinalis, S. R. C. Praefectus atque Causae Ponens, dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, officiales Praelati Patresque Consultores suffragium tulerunt, quod Summus Pontifex attente auscultavit, suam vero sententiam ad hanc usque diem, Dominicam quartam Sacri Adventus ferre distulit, ingeminatis interim precibus Deum rogaturus, ut Suam mentem magis illustrare dignaretur.

Accitis itaque ad Se infrascripto causae Cardinali Ponente, R. P. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, meque Secretario, Sa-

crosancto Missae sacrificio pientissime litato, edixit: *Constare de duobus miraculis*, nimirum de *Instantanea perfectaque sanatione Sororis Veronicae a Sanctissimo Salvatore a gravissima cholecystite aliisque circa iecur morbis ad limen mortis adductae*, necnon *de perfecta sanatione Sororis Mariae a S. Vincentio ab insanabili aneurismate colli.*

Hoc autem decretum rite promulgari, et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 19 Decembris a. D. 1948, Dominica IV Sacri Adventus.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

BITURICEN. SEU GALLIARUM

CANONIZATIONIS BEATAE IOANNAE DE VALOIS, GALLIARUM REGINAE, FUNDATRICIS ORDINIS SS. ANNUNTIATIONIS B. M. V.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam Eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem.

Quanta munificentia benignissimus Deus eorum virtutes rependat, qui pro eius gloria et amore, terrena cuncta despiciunt eique soli adhaerere contendunt, maxime in providentia manifestatur, qua omnes humanos eventus, ab humana quoque malitia partos, dirigendo aut tolerando, ineffabilia praemia eis confert, docente Apostolo: *Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (*2 Cor.*, 4, 17). Immo saepe, in hoc mundo quoque, Servi Dei, etsi non semper in vita, post mortem mirabili gloria honestantur. Quod evidenter de B. Ioanna, Galliarum Regina, constat.

Ipsa enim gravissimis iniuriis impetita, has Dei amore heroica patientia sustinendo, ceterasque virtutes similiter exercendo, Deo assistente, religiosum Ordinem condere valuit, christiani populi veneratione est honestata atque ab Ecclesia iamdiu Beatificationis honore celebrata,

in eo est, sicut conici datur, ut ad sollemnis Canonizationis gloriam elevetur.

Re sane vera: quum Benedictus Papa XIV anno 1742 eam in Beatorum albo aequipollenter adscripsisset, ut ad ulteriora posset procedi necesse erat ut prius virtutes heroicas eam exercuisse constaret. Quapropter iuridicis expletis inquisitionibus, Pius Papa VI, anno 1775, affirmativum decretum edi iussit.

Ulterius, ut ad Canonizationem gradum facere fas sit, tria miracula sunt probanda, quae eius interventione Deus post huiusmodi beatificationem patraverit.

Quod factum est, uti constat ex decreto a sacra hac Congregatione edito die 19 Decembris 1948.

Ut autem authentice constet omnia quae a iure ut ad sollemnem Canonizationem procedi possit requiruntur, impleta esse, coram Summo Pontifice a sacra Congregatione dubium discutiatur oportet: *An, stante approbatione trium miraculorum post indultam ab Apostolica Sede Eidem Beatae venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Dubium hoc, in Generali Congregatione sacrorum Rituum die 18 elapsi mensis coram Ssmo D. N. habita, a Rmo D. Cardinali Eugenio Tisserant Episcopo Portuensi et S. Rufinae fuit propositum, cui omnes, quotquot aderant, Rmi Cardinales, officiales Praelati ac PP. Consultores affirmativum responsum ediderunt.

Beatissimus vero Pater, sententiam edere ad hanc diem distulit, Dominicam Septuagesimae, ut ingeminatis precibus maius lumen a Divino Spiritu acciperet.

Quapropter ad Se Rmos Cardinales Eugenium Tisserant et infrascriptum S. R. C. Praefectum nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque Secretarium advocavit, divinaque Hostia sancte litata, edixit: *Tuto procedi posse ad Beatae Ioannae, Galliarum Reginae, sollemnem Canonizationem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

III

SAVONEN.

CANONIZATIONIS B. MARIAE IOSEPHAE ROSSELLO, VIRGINIS E TERTIO ORDINE S. FRANCISCI, FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM NOSTRAE DOMINAE A MISERICORDIA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Ex iugiter frugifera arbore ab Assisiensi Patriarcha, Francisco, in catholicae Ecclesiae viridario consita, novam, et ipsam valde frugiferam, arborem spiritualem lympham hausisse datum est admirari.

Institutum dicimus Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia, quod Beata Maria Iosepha Rossello, seraphico imbuta spiritu, fundavit, aluit, dilatavit atque verbo non solum et opera, sed potissimum heroicarum virtutum exemplo solide constabilivit. Virtutes hae, divino quoque miraculorum testimonio confirmatae, Beatificationis honores ei comparaverunt, quibus die 6 Novembris anno 1938 fuit honestata.

Verum hic Divina munificentia non constitit: novis enim indubiisque signis suam Famulam ad altiora esse evehendam disponit.

Porro quum in dioecesibus Savonen. et Ventimilien. duo miracula eius interventione a Deo fuisse patrata dictitatum fuit, Canonizationis causa, per decretum diei 5 Februarii anno 1941, fuit resumpta, litteraeque Remissoriales pro Apostolicis inquisitionibus super his miris sanationibus Savonensi Episcopo expeditae atque ab eodem diligenter in actum deductae; adeo ut, severe processu perspecto, eius iuridicum robur per decretum diei 26 Februarii anni 1943 fuerit recognitum.

Quod autem sanationes hae divinae actioni sint tribuendae ex dicendis evidenter constat.

I. Rachel Teresia Rocchi De Negri diabetico morbo saltem ab anno 1928 affecta, decem post annos, hoc ingravescente, gravi gangraena in pede dextero adeo fuit attacta, ut digitorum amputatio necessaria medicorum iudicio edicta sit. Infirma omnino renuit, et novendiales preces, ut Beata Maria Iosepha pro sanatione miraculum a Deo obtineret, effudit. Beatae preces exaudivit Dominus: Rachel enim die 27 Februarii anno 1939 extemplo et perfecte a gangraena diabetica dexteri pedis sana facta est. Quatuor medentes a cura, quatuorque periti ex officio in diagnosi ac prognosi statuenda conveniunt; conveniunt quoque in mira-

culo conclamando, praeter unum medentem qui semel tantum infirmam inviserat.

II. Petrus Molinari, loci « S. Biagio della Cima » Ventimiliensis dioecesis oppidanus, mense Octobri anni 1938 in pachymeningitis acutae haemorrhagicae morbum incidit, qui eum ad extremum vitae limen adduxit, sine ulla valetudinis recuperandae spe. Quare die 4 Novembris infirmorum oleo fuit linitus : interim Beatae Mariae Iosephae interventionem familiares imploravere. Die 6 Novembris, quum de mane in Vaticana Basilica Beatificationis sollemnia Mariae Iosephae celebrarentur, Petrus in eo erat ut animam exhalaret, paullo post meridiem morbus omnino disparuit, viresque paullatim reparatae. Miram hanc sanationem naturae vires excessisse cum duo medentes tum tres ex officio periti asseverant.

De utroque miro coram desideratissimo Cardinali Raphaële Carolo Rossi die 28 Maii 1946 in Antepraeparatorio sacrae huius Congregationis coetu quaestio est discussa ; in Praeparatorio autem die 2 Martii elapsi anni ; demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 18 Ianuarii anni huius : in quo infrascriptus Cardinalis causae Ponens dubium proposuit : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, officiales Praelati Patresque Consultores quid sentiret unusquisque aperuit. Beatissimus vero Pater supremam sententiam edere distulit, ut in tam gravi negotio effusis precibus Dei beneplacitum Sibi agnoscere daretur.

Hanc itaque selegit diem Dominicam in Septuagesima.

Accitis itaque infrascripto Cardinali Ponente, R. P. Salvatore Natucci Promotore generali Fidei meque Secretario, Eucharistico sacrificio devotissime litato, pronunciavit : *Constare de duobus miraculis, Beata Maria Iosepha Rossello intercedente a Deo patratis;* nempe : *De instantanea perfectaque sanatione cum Rachelis Teresiae Rocchi De Negri a gravi gangraena dexteri pedis, tum Petri Molinari a pachymeningite acuta haemorrhagica.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

IV

BRIXIEN.

CANONIZATIONIS B. BARTHOLOMAEAE CAPITANIO, VIRGINIS, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Eleganti divini consilii dispositione factum est, ut duae Virgines, Bartholomaea Capitanio atque Vincentia Gerosa, quas Sororum a Caritate Institutum fundatrices habere gloriatur, inter Beatas annumeratas, modo ad sollemnis Canonizationis honores simul elevari videantur. Etenim B. Vincentiae causa, quae B. Bartholomaeae socia atque post eius in iuvenili adhuc aetate obitum, Institutum perfecit, adeo est progressa, ut totum id, quod ius a sacra hac Congregatione requirit, sit perfecte consummatum, ideoque Tuto procedi posse ad Canonizationem Iunio mense elapsi anni fuerit decretum.

Modo vero Beata Bartholomaea ad eundem finem properat, quia resumpta, per decretum 17 aprilis a. 1940, canonizationis causa, duae mirae sanationes uti divina miracula ab Actoribus fuerunt oblatae, quae favorabile suffragium sunt merito assecutae.

I. Petrus Lorandi, civis oppidi v. d. Lovere in Dioecesi Brixiensi, carcinomate in recto fuit affectus, quod adeo insaeviit, ut inoperabile fuerit a sex saltem medentibus edictum, atque lethale. Quum nullum tanto morbo remedium afferri posset, atque infirmus in peius rueret, B. Bartholomaeae patrocinium, non sine pii medentis consilio, invocatum est, felicique exitu. Die enim 19 Augusti mensis anno 1937 Petrus perfecte sanatus est, et quidem perseveranter. Periti ab hac Sacra Congregatione adlecti unanimiter cum ipsis medentibus in diagnosi, lethali prognosi ac miraculo conveniunt.

II. Soror Aloisia Reguzzi, ex Instituto Sororum a Caritate a B. Bartholomaea condito, Bergomi in principe religiosae familiae domo commorans, anno 1938 ineunte in inferiori labio epitheliomate attacta fuit. Morbus seu a medentibus seu a tribus peritis ex officio insanabilis edictus est. B. Bartholomaea per novendiales preces, mensis Octobris initio eiusdem anni, invocata fuit. Quarta vel quinta die de repente Soror Aloisia sanam se perfecte sensit, nec in tantum morbum

amplius recidit. In arte medica periti, ceterique testes miraculo sanationem hanc iure merito tribuunt.

Apostolicis inquisitionibus in Brixiensi et Bergomensi Curiis rite peractis, pro harum iuridica vi die 24 Aprilis anno 1942 est decretum.

De utraque sanatione in Antepraeparatoria Congregatione, die 30 Aprilis anno 1946 coram Revmo Cardinali Friderico Tedeschini, Causae huius Ponente seu Relatore, discussa fuit; in Praeparatoria die 13 Aprilis anno 1948, in Generali demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 18 elapsi mensis Ianuarii, in qua idem Revmus Cardinalis dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur*. Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suffragium tulere, quibus auditis, Beatissimus Pater praesentes quotquot aderant, ut preces ad Deum luminum Patrem effunderent est hortatus, ut mens Sua maiori luce illustraretur.

Hanc autem Dominicam in Septuagesima, ut Suam aperiret mentem, selegit.

Quocirca Revmos Cardinales Fridericum Tedeschini Causae Relatorem atque infrascriptum arcessivit, nec non R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium, atque sacrosanctis mysteriis religiose litatis, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per Beatae Bartholomaeae Capitanio intercessionem patratis,* nimirum *de instantanea perfectaque sanatione cum Petri Lorandi a carcinomate in recto tum Sororis Aloisiae Reguzzi ab epitheliomate in labio inferiori.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

AQUIPENDIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (MARINI-MOSTONE)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Evaristi Mostone, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 28 Maii 1949, hora duodecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Domini Evaristi Mostone, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

G. T. Heard, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 23 Martii 1949.

E. Fiore, *Notarius deputatus.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Evariste Mostone, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 28 Mai 1949, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Evariste Mostone devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I – *De dispensationibus*

D. I. An sub verbis can. 81 « *a generalibus Ecclesiae legibus* » comprehendantur vota Sedi Apostolicae reservata.

D. II. An Ordinarii, vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis, valeant dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi sacrum caelibatum.

R. Negative ad utrumque.

II – *De matrimonio putativo*

D. An sub verbo « *celebratum* » can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 Ianuarii anno 1949.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

A. Coussa, Ordinis Basiliani Aleppen., *a Secretis.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine Piano

6 febbraio 1948. A S. E. il sig. García Salazar Arturo, Ambasciatore del Perù presso la Santa Sede.

26 giugno » A S. A. S. il principe de Croiÿ Reginaldo, Ambasciatore del Belgio presso la Santa Sede.

» » » A S. E. il sig. de Churruca y Dotres don Paolo marchese de Aycinena, Ambasciatore di Spagna presso la Santa Sede.

» » » A S. E. il sig. Díaz González prof. Gioacchino, Ambasciatore del Venezuela presso la Santa Sede.

3 gennaio 1949. A S. E. il sig. Galindo Nestore V., Ambasciatore di Bolivia presso la Santa Sede.

6 » » A S. E. il principe Colonna don Aspreno Giuseppe, Assistente al Soglio Pontificio.

18 » » A S. E. il dott. Ospina Pérez Mariano, Presidente della Repubblica di Colombia.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

11 dicembre 1948. A S. E. il sig. Linhares Giuseppe (Brasile).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 luglio 1947. Al sig. Perret dott. Massimo Giuseppe, dell'archidiocesi di New Orleans.

» » » Al sig. Gilly Giacomo Giuseppe iunior, della medesima archidiocesi.

20 luglio 1948. Al sig. Salem Elia, dell'archidiocesi di Aleppo dei Melchiti.

15 novembre » Al sig. Speyaert van Woerden Barone Edoardo Leopoldo Maria (Olanda).

24 » » Al sig. Stürgkh conte Barthold, della diocesi di Secovia.

» » » Al sig. Spaur conte Volkmar senior, dell'archidiocesi di Trento.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

31 luglio 1947. Al sig. Mannerini generale Alberto (Italia).
10 agosto 1948. A S. E. il sig. Pistarini generale Giovanni (Argentina).

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 luglio 1947. Al sig. Charles comm. Paolo (Congo Belga).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

12 marzo 1946. Al sig. Borg Olivier avv. Enrico, dell'archidiocesi di Malta.
21 aprile » Al sig. Giacomini Gaetano (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

11 giugno 1945. Al sig. Farese Tommaso, della diocesi di Avellino.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

25 marzo 1946. Al sig. Mendia comandante Giovanni (Spagna).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:

9 novembre 1948. Al sig. Levi Isaia (Roma).
8 gennaio 1949. Al sig. Vaz Nunes da Silva Emanuele (Portogallo).
13 » » Al sig. Cousin ing. Giulio (Congo Belga).
10 febbraio » Al sig. De Romanis ing. Alberto, dell'archidiocesi di L'Aquila.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

8 settembre 1944. Al sig. Favila Vieira dott. Alvaro, della diocesi di Funchal.
2 gennaio 1946. Al sig. de Marinis Giovanni, dell'archidiocesi di L'Aquila.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

28 aprile 1945. Al sig. Judica Aurelio Giuseppe, della diocesi di Noto.
» » » Al sig. Pluchino Orazio Giorgio, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Mazza Arturo, della medesima diocesi.
20 dicembre » Al sig. Rossi Giovanni, della diocesi di Pergola.
» » » Al sig. Ginevri Paolo, della diocesi di Cagli.
25 marzo 1946. Al sig. Uzatorre Vincenzo (Spagna).

An. et vol. XXXXI 25 Aprilis 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE SACRIS PALAESTINAE LOCIS.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Redemptoris nostri cruciatus, qui per sacrae huius hebdomadis dies veluti praesentes oculis proponuntur nostris, christianorum mentes summa reverentia affectas ad Terram illam convertunt, quae providentis Dei consilio Incarnati Verbi patria delecta fuit, et in qua Christus Iesus terrestrem suam vitam traduxit effusoque sanguine diem obiit supremum.

In praesens tamen, dum Sacra ea Loca incensiore pietate recolimus, acerrima anxitudine animus oppletur Noster, ob difficiles eorum atque incertas condiciones.

Iam superiore anno, semel iterumque datis Litteris, vehementer vos, Venerabiles Fratres, adhortati sumus, ut publicae ab omnibus haberentur preces, quibus et conflictationis finis impetraretur, quae Terram illam humana caede vastabat, et res inibi ad iustitiae normas ita componerentur, ut plena catholicorum libertas in tuto poneretur, simulque sacerrima ea Loca sarta tectaque servarentur.

Quandoquidem autem dimicationes hodie cessavere, vel saltem, ob pactas recens inducias, intermissae sunt, maximas Deo grates ex animo agimus, ac valde eorum probamus operam, qui nobili nisu ad pacem conciliandam adlaborarunt.

Attamen, quamvis iam debellatum sit, nihilo secius multum abest ut ordinis tranquillitas in Palaestina plane restituta sit. Namque adhuc ad Nos ab iis questus deferuntur, qui iure meritoque sive sacras aedes atque imagines beneficentiaeque domicilia profanata deplorant, sive pacificas religiosarum sodalitatum domos dirutas commiserantur. Plurimi adhuc ad Nos misere clamant, cuiusvis aetatis, cuiusvis condicionis profugi, qui ob calamitosum bellum ad exteras regiones coacti sunt, atque adeo in custodiae locis exsulem vitam agunt, inopiae, morborum contagioni omneque genus periculis obnoxii.

Haud Nobis incompertum est quantopere vel publica instituta vel privati cives contulerint ad aerumnosae huius multitudinis sortem relevandam; ac Nosmet ipsi in illis caritatis inceptis perseverantes, quae inde a suscepto Pontificatu inivimus, quidquid pro facultate potuimus non praetermisimus, ut gravioribus infelicis eiusmodi multitudinis necessitatibus consuleremus.

At horum exsulum status tam anceps tamque instabilis est, ut diutius idem protrahi nequeat. Dum igitur auctores omnibus sumus, quoquot magno nobilique sunt animo, ut his extorribus maerore atque inopia affectis auxiliari pro viribus velint, vehementer eos appellamus, quorum res est, ut iustitia praebeatur omnibus, qui belli turbine longe a patriis laribus expulsi, nihil magis percupiunt quam tranquillam iterum ducere vitam.

Hoc Nos per sanctos hos dies maxime optamus, unaque Nobiscum christiani populi universi optant, ut tandem aliquando pax ibi effulgeat, ubi qui a sacris vatibus « Princeps pacis » [1] atque ab Apostolo gentium Pax ipsa [2] renuntiatus est, aetatem degunt suumque profudit sanguinem.

Quam quidem solidam verique nominis pacem Nos etiam

[1] Is., 9, 6.
[2] Cfr. *Eph.*, 2, 14.

atque etiam implorare numquam destitimus; utque quam primum maturaretur ac firmaretur, per Encyclicas Litteras « In multiplicibus » iam asseveravimus: « opportunum nempe omnino esse ut Hierosolymae ac vicinitati, ubi Divini Redemptoris vitae ac mortis veneranda servantur monumenta, regimen tribuatur " internationali " iure statutum ac solidatum, quod in praesentibus rerum adiunctis satius aptiusque videtur sacra eadem monumenta tueri posse ». [3]

Facere autem non possumus quin eandem heic asseverationem iteremus, eo etiam consilio ducti ut filiis Nostris incitamento sit: ipsi nempe ubicumque commorantur iusta quavis ratione dent operam, ut publici Civitatum moderatores iique omnes, quorum est tanti momenti causam dirimere, sibi persuadeant Hierosolymae eiusque viciniae iuridicum tribuere statum, cuius stabilitatem, in hisce rerum condicionibus, coniunctio tantum atque conspiratio Nationum, pacem amantium iuraque observantium aliorum, tutam firmamque reddere possunt.

At praeterea necessarium omnino est debitam incolumitatem ac tutelam cunctis sacris Palaestinae Locis sancire, quae non solum Hierosolymae sed in ceteris quoque regionis illius urbibus atque pagis habentur.

Horum non pauca ob bellicas vicissitudines vastationesque gravia discrimina ac detrimenta perpessa sunt. Oportet igitur eadem — cum tam magna religionis monumenta cuique veneranda servent, christianorumque pietatem nutriant ac foveant — consentaneo modo muniantur ac certo iure, quod « internationalis » pacta consensio corroboret.

Novimus profecto filiis Nostris in flagrantissimis votis esse illuc ex more tradito iterum peregrinari, unde res fere ubique perturbatae eos iam diu prohibuere. Quae quidem vota incensiora facit piacularis, qui instat, annus, quod per illius temporis decursum par est christifideles magis cupere Terram eam invisere, quae divinae redemptionis veluti theatrum fuit. Ac faxit Deus ut huiusmodi optata quam primum effecta dentur.

[3] *A. A. S.*, a. 1948, p. 435.

Attamen ut id feliciter eveniat, opus profecto est ea omnia decernere, quibus libere peregrinantibus liceat sacra illa adire aedificia; suam quisque pietatem palam nulloque impedimento profiteri; atque illic remotis periculis remotaque formidine commorari. Neque iniuria vacare arbitramur, si iidem regionem illam cernant indignis ludicris vitiorumque oblectamentis profanatam; quod sane Divinum Redemptorem christianorumque conscientiam offendit.

Valde praeterea optamus ut quae plurima in Palaestina sunt indigentibus adiuvandis, educandae iuventuti, hospitibus excipiendis catholica instituta, eadem possint, ut aequum est, nullis praepedita repagulis, operam praestare suam, qua anteactis temporibus tam bene merita sunt.

Neque silentio praeterire volumus iura omnia incolumia servanda esse quae catholici a multis iam saeculis in Sacra illa Loca adepti sunt ac strenue iteratoque defenderunt, quaeque Decessores Nostri sollemniter efficienterque asseruere.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, ad quae Nobis in animo erat mentes vestras convertere.

Facite igitur ut christifideles, vestrae sollicitudini demandati, Palaestinae condiciones maiori in dies curae habeant, et sua vota suaque iura Civitatum rectoribus palam affirmateque declarent. At praecipue instando precandoque ab eo opem impetrent, qui homines Nationesque moderatur. Utinam Deus mundum universum atque imprimis Terram illam Incarnati Verbi cruore irroratam benignus aspiciat, ut odia simultatesque Iesu Christi caritas evincat, quae una potest tranquillitatem ac pacem afferre.

Caelestium interea munerum sit auspex Nostraeque voluntatis testis Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, gregique cuiusque vestro, amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xv mensis Aprilis, feria sexta in Parasceve, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

MOTU PROPRIO

DE PONTIFICIO S. EUGENII INSTITUTO PRO SACRORUM ADMINISTRIS A SACERDOTIO RECENTIBUS.

PIUS PP. XII

Quandoquidem templum divo Eugenio I dicandum adiectaque domus non multum post temporis, Deo iuvante, iam in promptu erunt — ac libet heic iis omnibus plurimas grates agere, quorum generosae largitati res debetur — cupimus ac volumus ut inibi condatur paroecia, quae iisdem regatur normis ac fruatur iuribus, quibus ceterae almae Urbis paroeciae reguntur ac fruuntur.

Ac praeterea Nobis in animo est aliud etiam in iisdem aedibus constituere, quod confidimus fore Romano clero, Nobis sane carissimo, valde frugiferum.

Sunt enim quaedam ad rei catholicae profectum ita necessaria, ut cum iisdem ipsius Ecclesiae status atque incrementum coniungantur quam maxime. In quibus quidem recta adulescentis cleri institutio ac conformatio ponenda est; quapropter non modo Decessores Nostri, sed sacrorum etiam Antistites in quavis terrarum orbis parte cordi semper habuere peculiares sui officii curas in hac re collocare; idque post celebratam Tridentinam Synodum potissimum effectum est per instituta in singulis Dioecesibus Seminaria, in quibus delecti iuvenes, divino quodam instinctu ad sacerdotalia capessenda munia vocati, rite educarentur.

Quando tamen ex his studiorum domiciliis sacerdotes novensiles proficiscuntur, ut sibi creditum ministerium suscipiant, etsi sunt sacris disciplinis pietatisque fervore praediti, nihilo secius cum saeculi afflatum sentiunt, atque in media rapiuntur aetatis huius nostrae pericula difficultatesque, non raro experiuntur se haud satis esse ad increscentibus populi necessitatibus occurrendum instructi, atque interdum etiam animo concidunt, cum se cernunt non sine proprio discrimine a christianae doctrinae christianaeque virtutis hostibus acerrime impugnari.

Oportet igitur iuvenes a sacerdotio recentes opportunis illis disciplinis ac rebus exerceantur, quibus iisdem opus sit ut novas etiam apostolatus formas, quas nostra induxerit aetas, expedite, apte alacriterque tractare valeant.

Norunt profecto omnes primos potissimum sacerdotii annos, cum sacri administri ex Seminarii claustris in apertum campum prosiliunt, ut quae in scholis didicerint ad rem deducant, peculiarem habere momenti gravitatem, atque interdum etiam non leve discrimen. Ex iisdem siqui-

dem saepenumero pendet futurae eorum vitae cursus, atque adeo eorum morum eorumque sacerdotalis muneris processus. Hac de causa facile cernitur quam opportunum ac prorsus necessarium sit eos in sacrae militiae initio optimos habere duces ac magistros, qui eis non tam doctrinae praeceptis, quam sacerdotalis ministerii exercitatione in exemplum praeluceant.

Id quidem non novum in Ecclesiae annalibus est; quod Romae S. Philippus Nerius hac in re peregit, quod S. Carolus Borromaeus Mediolani gessit, ac superiore saeculo Augustae Taurinorum S. Iosephus Cafasso « Ecclesiasticum Convictum » moderando obtinuit, id omnibus perspectum est; at multa alia hoc genus opera atque instituta memorari queunt, quae ad optimam sacerdotum conformationem summopere contulerunt.

Haec Nos mature considerantes, cum vehementer cupiamus ut iuvenis Almae Urbis Clerus, qui peculiari modo ac titulo Nobis carissimus est, hisce adiumentis ne careat, optamus ac volumus Pontificium Institutum Romae condere, cui quidem sit gravissima haec causa demandata. Quapropter per has litteras motu proprio datas decernimus aedificia illa, de quibus supra mentionem fecimus, non modo novae paroeciae, sed Pontificio etiam Instituto attribuenda esse, Romano clero novensili hac ratione instituendo.

Haec praeterea, quae sequuntur, statuimus ac decernimus:

I. Pontificii huius Instituti Rector a Nobis Nostrisve Successoribus eligetur, audito Cardinali in Urbe Vicario.

II. Novi Almae Urbis sacerdotes per certum tempus inibi commorabuntur, ut non modo virtute, sed sacro etiam in ministerio exerceantur, peculiarique modo in iis apostolatus formis, quas nostrum invexit saeculum.

III. Addiscent iidem quid nostra tempora postulent, quibus necessitatibus angantur, quae pericula ac discrimina praebeant; atque adeo opportunis omnibus rationibus instruentur, quibus et haec pericula facilius superare, et praesentibus hisce necessitatibus modo aetati nostrae pari actuoseque respondere queant.

IV. Sacris concionibus exercebuntur, impertiendaeque christianae doctrinae institutione; qua de causa in paroeciales aedes statis temporibus se conferent, ubi eorum opera apte utiliterque dirigetur.

V. In gerendis administrandisque paroecialibus officiis sub optimorum magistrorum ductu pariter exercebuntur.

VI. Vitam communem agent, ex qua quidem magnum experientur spiritualis utilitatis profectum.

Dum Nos haec decernimus, suavissima spe ducimur fore ut almae

Urbis sacerdotes ex hoc Instituto habeant ut sibi, sacro suo muneri Romanoque populo aptius uberiusque, divina adspirante gratia, prospicere ac consulere queant.

Quod vero a Nobis hisce litteris, motu proprio datis, decretum ac statutum est, id firmum ac ratum esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE LYDENBURG

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE LYDENBURG IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si Evangelii praeconum opera aliqua enascens inter infideles gentes Ecclesia insigne, Deo favente, susceperit incrementum, digna sane videretur quae ad altiorem dignitatis gradum evehatur. Laetantes itaque accepimus in Praefectura Apostolica de Lydenburg, indefesso labore constantique studio sodalium Congregationis Missionariorum Filiorum SS. Cordis Iesu, cui missio illa concredita est, catholicam religionem uberes, multiplicatis missionalibus operibus, fructus percepisse. Quapropter precibus annuere censuimus dilecti Filii memoratae Congregationis Superioris Generalis, quibus petebatur praefatae Praefecturae Apostolicae in Vicariatum Apostolicum elatio. Quare, attento venerabilis Fratris Martini Lucas, Archiepiscopi titularis Adulitani et Delegati Apostolici in Africa Meridionali, favorabili voto, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, volentes etiam missionariis inibi adlaborantibus meritae laudis testimonium dare, ut animus illis simul addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores, suppleto,

quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa ac certa scientia, Nos, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Lydenburg, eius finibus servatis, in Vicariatum eiusdem nominis evehimus, erigimus et constituimus, iisdemque sodalibus Congregationis Missionariorum Filiorum SS. Cordis Iesu, ad nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concreditum, ut antea, volumus.

Novo autem huic Vicariatui Apostolico de Lydenburg, eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die nona mensis Decembris, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 86. — Al. Trussardi.

II

DE OUDTSHOORN

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE OUDTSHOORN IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad altiorem dignitatis gradum solet Apostolica Sedes missiones illas extollere, in quibus non mediocris momenti fructus evangelica praedicatio perceperit. Laeti quidem fructus, uti accepimus, percepti sunt in Praefectura Apostolica de Oudtshoorn per sedulas Patrum Societatis Apostolatus Catholici, cui concredita est, curas; quare sane congruum visum est Praefecturam illam ad Vicariatus Apostolici gradum evehere. Attento itaque venerabilis Fratris Martini Lucas, Archiepiscopi titularis Adulitani et Apostolici in Africa Meridionali Delegati, favorabili voto, atque de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, precibus, quibus dilectus Filius Societatis Apostolatus Catholici Superior Generalis praefatae Praefecturae Apostolicae in Apostolicum Vicariatum elationem postulavit, lubenti animo annuere censuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa ac certa scientia, Nos, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Oudtshoorn, eius servatis finibus ac nomine, in Vicariatum Apostolicum extollimus, erigimus et constituimus; quem iisdem impensis Patrum Societatis Apostolatus Catholici curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, etiam in posterum commissum volumus. Novo autem huic Vicariatui Apostolico de Oudtshoorn eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem

prorsus volumus haberi fidem quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die nona mensis Decembris, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 8½. — Al. Trussardi.

III

DE NDOLA

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE NDOLA IN VICARIATUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si in aliqua inter infideles gentes enascenti ecclesia res catholica, per Evangelii praeconum apostolicum zelum et industriam, laetum, opitulante Deo, assecuta sit incrementum, ad maioris dignitatis gradum merito Ecclesia illa ab Apostolica Sede extollitur. Quod quidem perpendentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia, et Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati Apostolici, Nos, probe noscentes Apostolicam Praefecturam de Ndola per impensas Missionariorum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, cui illa concredita est, curas, postremis potissimum hisce

annis, non mediocre retulisse incrementum, ad Vicariatus Apostolici gradus et dignitatem illam evehere statuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Praefecturam Apostolicam de Ndola in Vicariatum Apostolicum, iisdem illius servatis nomine et finibus, evehimus, et eum apostolicis Sodalium Ordinis Fratrum Minorum Conventualium curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, etiam in posterum commissum volumus.

Eidem autem Vicariatui Apostolico de Ndola eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus haberi volumus fidem, quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die tertiadecima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII. n. 7. — Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CATHEDRALIS METROPOLITANA ECCLESIA CAESARAUGUSTANA, DEO IN HONOREM B. V. MARIAE DE COLUMNA DICATA, TITULO BASILICAE MINORIS ORNATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Decus ornamentumque maximum urbis Caesaraugustae, Cathedralis Ecclesia Metropolitana, quae structurae nobilitate, magnificentia, maiestate molis, inter celeberrimas inclutasque aedes sacras Hispanicae Nationis valde praestat atque eminet, Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae de Columna dicata fuit. Inde enim ab incunabulis Ecclesiae Caesaraugustanae ferventissime colitur Beatissima Virgo Maria de Columna, cuius Imaginem sive turmatim sive singillatim complures celebrant summa pietate fideles non modo ex omnibus Hispaniae partibus sed etiam ex aliis nationibus Americae Latinae, vel opem a Deipara Virgine imploraturi vel maximas, pro acceptis beneficiis, gratias acturi. Nam, ut pro certo habetur, quamplurima, benigne intercedente eadem Beata Virgine Maria, patrata sunt miracula. Quapropter rec. mem. Decessor Noster Clemens Pp. XII Officium commemorationis Beatae Virginis Mariae de Columna recitandum indulsit universis ditionibus Regis Catholici Hispaniae et fel. rec. Decessor Noster Pius Pp. IX Missam propriam una cum Officio omnibus in Hispania ad horas canonicas adstrictis libentissime concessit. Quibus perspectis, ut debitus Deo cultus vividior fiat fervensque in eandem prodigiosam Virginem Mariam de Columna pietas uberius in dies incrementum accipiat, Venerabilis Frater Rigobertus Domenech y Valls, Caesaraugustanus Archiepiscopus, enixe a Nobis efflagitavit ut praedictum Metropolitanum templum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaremur. His precibus votisque, a Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ad Nos relatis, benigne exceptis, Nos, futurum plane confisi ut magis magisque in dies vivida erga Beatam Virginem Mariam de Columna universi Hispani populi, Nobis sane carissimi, fiat religio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum tenore, perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Metro-

politanam Caesaraugustanam, Deo in honorem Beatissimae Mariae Virginis de Columna dicatam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* decoramus, omnibus cum privilegiis atque iuribus, quae Ecclesiis hoc titulo honestatis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec benigne largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere: illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV m. Iunii, in Nativitate Sancti Ioannis Baptistae, a. MCMXLVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

AD TITULUM AC DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR TEMPLUM PAROECIALE SANCTI IOANNIS BAPTISTAE, IN CIVITATE « CHAUMONT » NUNCUPATA, INTRA FINES LINGONENSIS DIOECESIS EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Christiana exardente Fide eademque afflante, nonnulla excitantur Opera quae pro temporum necessitate populorumque ingenio pedetentim virescunt ac perficiuntur; quin immo, labentibus annis, historicas, tum religiosas tum civiles, memorias condunt diligenterque tuentur. Quod quidem officium Christifideles exsequendum maximo civitatis Templo praecipue committunt. Haud aliter accidit in Galliae civitate vulgo « Chaumont » nuncupata, intra Lingonensis dioeceseos fines, cuius paroecialis Ecclesia, olim Collegialis, omnium assensu, antiquitate ac pulchritudine ceteris antecellit. Ipsa enim, XII saeculo exeunte incohata, temporis decursu, civium numero rerumque prosperitate amplificata atque exornata est; idque tali ratione factum fuit, ut nova artis opera cum pristinis mire affabreque convenirent.

Veteris porro Ecclesiae omnium supersunt admirationi tum pergrande limen, tum ala maxima; principalis vero frons, duabus « gothicis » magnificis turribus constituta, XIII saeculo attribuenda est, ac tali patet hodie amplitudine, ut quinque millia fidelium continere valeat. Ditata est insuper multis pretiosisque sacerdotalibus liturgicisque ornamentis ac vasis sacris, quae decorem splendoremque sollemnibus ritibus conferunt. Quod tamen urbi charitatem non minus quam pietati incrementum addidit, iam inde a saeculo XV, insigne fuit privilegium, gallica lingu a« Grand Pardon » appellatum. Hoc quidem, illustris calvomontani civis ope et intercessione, Ioannis scilicet a Monte Mirabili, Vasonensis Episcopi ac Pontificis Maximi Referendarii, Decessor Noster Xystus Pp. IV, fel. rec., ita benigne largitus est, ut, quoties Sancti Ioannis Baptistae, praecipui Ecclesiae et Civitatis Patroni, festum die Dominica celebretur, Indulgentiam Plenariam, suetis condicionibus, cives ac peregrinantes fideles acquirere possint. Maxima proinde famae celebritate maximoque populorum concursu, sive ob artis antiquitatem et pulchritudinem, sive ob liturgicorum sollemnium maiestatem, sive praesertim ob supra memoratam Indulgentiam, hoc Templum in Lingonensi dioecesi et in tota Gallia merito pollet eminetque. Qua propter Venerabilis Frater Ludovicus Chiron, Lingonensis Episcopus, Cleri populique « calvomontani » nomine, enixas Nobis adhibuit preces ut Ecclesiam paroecialem Civitatis vulgo « Chaumont » ad dignitatem Basilicae Minoris evehere dignaremur. Quibus omnibus, ab eodem Praesule Nobis relatis, mature perpensis, tanto historiae, artis pietatisque monumento publicum luculentumque admirationis Nostrae specimen tribuendum censuimus, quod insuper ad Christifidelium Fidem fovendam augendamque valeat. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Paroecialem Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicatam atque in Gallica Civitate « Chaumont » positam, in Lingonensi dioecesi, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus honoribus ac privilegiis quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quid-

quam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Iunii, anno MCMXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

EPISTULAE

I

AD REVMUM P. GULIELMUM VAN HEES, ORDINIS SANCTAE CRUCIS MAGISTRUM GENERALEM : SEPTIMO EXEUNTE SAECULO AB EIUSDEM ORDINIS CONSTITUTIONUM APPROBATIONE.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Opportunum sane a vobis initum est consilium recolendi, exeunte hoc anno, septimi pleni saeculi, ex quo vestri Ordinis Constitutiones Decessor Noster Innocentius IV apostolica auctoritate approbavit. Ex ipsa enim rei natura ac diuturno saeculorum usu plane constat, religiosorum ordines ac sodalitates tum maxime florere, quum suas cuiusque Constitutiones, fundamentum sibi ac fontem sanctitatis clarorumque omnium facinorum incitatrices, inviolata observatione teneant atque prosequantur. Namque iste Sanctae Crucis Ordo saeculi decimi tertii initio a Theodoro *de Celles,* canonico Leodiensis Belgarum dioecesis, conditus, quum rerum divinarum contemplationem cum sacri apostolatus operibus apte coniungeret, brevi in alias Belgii et Galliae partes ac temporis progressu in Germaniae, Hollandiae et Angliae regiones feliciter est propagatus. Sive autem in exercenda animarum cura, sive in christiana iuvenum institutione tradenda, sive in sacris obeundis expeditionibus atque exercitiis spiritualibus promovendis, plures sibi laudes saeculorum decursu comparavit. Neque parvam contulit operam in scientia sacra provehenda, in transcribendis decorandisque affabre cultus doctrinarumque libris, in peragenda vita asceseos disciplina nobilitate bonisque artibus exculta atque expolita. At vero plurima damna et iacturas ob rerum temporumque vicissitudines sodalitas vestra perpessa est, praesertim

quum plures in Germania cives a fide catholica defecissent et publicae in Gallia res funditus eversae fuissent, ita ut, civilibus adversantibus legibus, medio fere anteacto proxime saeculo, paene exstincta videretur. Sed divina favente gratia Sanctae Crucis Ordo reviviscere coepit et vertente hoc saeculo felicia suscepit incrementa, quum sodales suos in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, in Belgarum Congo, in Iava insula, in Brasilia animarum studio per sacras missiones vel munera paroecialia, iuventutis praecipue sacrae institutioni sedulo incumbere videat. Est igitur, cur laetis gratisque in Deum animis vos conditam septimo ante saeculo sodalitatem istam sollemniter commemoretis; ipsa vero salutarium fructuum memoria, quos hoc temporis spatio in clero populoque fideli percepistis, ominamur confidimusque fore, ut vos ad aemulandas maiorum virtutes laudesque exacuat et ad maiora quoque prosequenda efficaciter impellat. Quae quidem ut prospere feliciterque succedant, divinae opis conciliatricem atque peculiaris Nostrae caritatis testem, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, cunctisque sodalibus tuo moderamini concreditis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCM̃UM P. D. FRANCISCUM PETRUM BUČYS, EPISCOPUM TIT. OLYMPENUM, CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM MARIANORUM SUPERIOREM GENERALEM, QUINQUAGESIMUM SACERDOTII ANNUM IMPLETURUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Exeunte hoc mense, uti libenter accepimus, ipse quidem annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum feliciter iuvante Deo explebis. Qui sane faustus eventus tibi itemque religiosis sodalibus, quibus praees, periucundus continget. Equidem tam diuturnum sacerdotale ministerium, episcopali auctum dignitate, diligenter obeundo, multa eaque praeclara erga Ecclesiam merita tibi comparasti. In ipso enim flore aetatis instituendae iuventuti sollicitam operam dedisti primo in Academia Petropolitana, deinde in Facultate Theologica et Philosophica Kaunensi, cuius studiorum Universitatis munere quoque Rectoris perfunctus es. Quadraginta autem abhinc annos nomen dedisti renovatae isti Clericorum Regularium

Marianorum Congregationi, cuius moderamen primum atque iterum suscepisti, cuique es alacriter per plures annos moderatus atque in praesens ex Apostolicae Sedis indulto moderaris. Ex quo vero, undeviginti ante annos, ad honorem episcopalem evectus es, ex ritu latino ad ritum byzantino-slavum translatus, ad dissidentium reditum in sinum Ecclesiae fovendum peculiares curas tribuisti. Omni denique sacerdotalis vitae tempore, sive Apologeticam docendo, sive plura volumina atque in commentariis scripta in vulgus edendo, ad veritatem catholicae religionis vindicandam praecipuum assiduumque studium contulisti. Merito igitur iureque optimo tibi, annum ab inito sacerdotio quinquagesimum peragenti, cuncti alumni sodalesque tui ex animo gratulantur, Nosque Ipsi, opportunam nacti occasionem, benevolentiam Nostram tibi publice per hanc epistulam declaramus istamque faustitatem Nostris votis ominibusque prosequimur. Dum autem iucundam tibi ac frugiferam senectutem a Domino adprecamur, in auspicium caelestium donorum inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuisque religiosis sodalibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

*Summus Pontifex coram multitudine puerorum, die quinquagesimo natali Eius Sacerdotii Veneratissimo Patri hosanna canentium, haec verba fecit.**

Siate i benvenuti, cari bambini e bambine! Noi Ci auguriamo che vi troverete perfettamente a vostro agio in questa festa di famiglia, qui a pochi passi di distanza dal luogo ove, dopo il suo glorioso martirio, fu sepolto il Principe degli Apostoli.

Sia questo per voi un giorno di letizia e di ringraziamento al Signore, per voi, piccoli amici di Gesù, a cui Egli ama di confidare i suoi segreti, le sue brame, per la pace delle vostre famiglie, della vostra cara patria e della grande famiglia umana. Voi siete venuti per dirCi, a nome vostro e di tutti i bambini d'Italia e del mondo, che siete sempre pronti ad ascoltare la voce divina di Gesù, perchè Egli vi ama e parla giorno per giorno ai vostri cuori.

* Habita die 2 Aprilis mensis a. 1949.

Voi avete certamente appreso dai vostri buoni Maestri come S. Giovanni Apostolo ed Evangelista, giunto alla estrema vecchiaia, soleva rivolgere ai suoi fedeli sempre le stesse parole: Figliuoli, amatevi l'un l'altro.

Era abbastanza; era tutto. Tutti i libri e i catechismi, tutti i discorsi di sacerdoti, dall'altare, nel confessionale, attraverso la radio, non potrebbero dirvi nulla di più perfetto. Questo: Cari fanciulli, amatevi l'un l'altro, come Gesù vi ha amati.

Giovanni, il discepolo prediletto, aveva lavorato per lunghi anni, si era affaticato per Cristo, aveva sofferto per Lui. Ma il ricordo che aveva conservato come il più caro e il più sacro, dopo avere, durante l'ultima cena, posato il capo sul petto del Redentore,[1] era la memoria dell'amore di Gesù: il suo amore per noi, il nostro amore gli uni per gli altri, con la sua grazia e per il suo amore.

Come dunque potremmo Noi meglio celebrare oggi questa festa di famiglia con voi che ricordando quel messaggio di Giovanni, messaggio che nessun Papa può mai dimenticare e nessun fanciullo può mancar di comprendere: Amatevi l'un l'altro?

Perchè? Voi lo sapete. Voi lo avete appreso dal cuore e dalle labbra di Gesù.

Non è forse vero che Gesù ama ogni fanciullo e ogni fanciulla, che vengono in questo mondo, ovunque il loro padre, la loro madre, i loro sacerdoti o maestri possano essere, e qualunque sia il colore della loro pelle, bianco o nero o giallo?

Vi sono forse fanciulli o fanciulle, che Egli non abbia amati, o per i quali non sia vissuto e morto, in qualsiasi luogo si trovino sotto l'azzurro firmamento, nelle grandi città, nei villaggi, nei piccoli poderi, nel deserto, nella jungla, nelle nevi nordiche?

Veglia ora Gesù su di loro e li ascolta e li vuole salvi, qualsiansi la lingua dei loro libri scolastici, i loro discorsi, i loro canti?

Ricorda Gesù sempre, anche quando sembra dimenticarlo, che il Regno dei cieli è aperto ad ogni fanciullo e ad ogni fanciulla, e che l'immagine di Dio è nelle loro anime, e il suo sangue è la loro divina medicina, il suo corpo il loro soprannaturale nutrimento?

Non è forse vero che l'amore reciproco spinge i fanciulli e le fanciulle più fortunati a venire in soccorso di tanti e tanti bambini, che dovrebbero crescere anch'essi sani e felici, ed invece cadono vittime delle malattie e della fame, che non hanno un tetto per ripararsi, nè abiti per

[1] Io., 21, 20.

coprire i loro fragili corpicini, e forse nemmeno un padre e una madre che abbiano cura di loro?

Sì, cari bambini; voi avete ora compreso ciò che fa oggi il cuore del Papa così ardente e felice in mezzo a voi.

Voi desiderate adesso la Nostra Benedizione per voi, per i vostri genitori, per i vostri fratellini e le vostre sorelline, per i vostri maestri e le vostre maestre, per tutti i bambini e le bambine del mondo.

Con paterna gratitudine per il vostro saluto e per i vostri doni, Noi ve la impartiamo, questa Benedizione, di tutto cuore. Sia essa la miglior testimonianza del Nostro amore per voi, della Nostra speranza in voi. Possa essa aiutarvi a mantenervi sempre puri e ad apprendere e ad attuare la parola di Gesù ai suoi piccoli amici di ogni terra e di ogni lingua!

NUNTIUS RADIOPHONICUS

ALUMNIS SCHOLARUM CATHOLICARUM STATUUM FOEDERATORUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS DATUS AD SOLLICITANDAM CARITATEM ERGA PUEROS INDIGENTES ALIARUM NATIONUM.*

Dear children, God has been very good, has He not, to give Us the great happiness of paying you once more a Lenten radio-visit in your schools across the sea?

He is the first to know, of course, as We are sure you know, for having heard it so many times from the lips of your loved ones — your parents, teachers, priests and Bishops — that you are always close to the Holy Father's heart: your work and your play, your smiles and your tears, your books and bells and examinations; your Communion with the King around His altar, and at home where He follows to bless your growing years with His grace and Divine protection.

How indeed could the Vicar of Christ forget, or let others forget, even for a day, the dear Lord's hopes and fears for His little ones? The thought of you, the love of you is ever with Us as We work and pray that God's Kingdom may come on earth, for home and Church and country, as it is in Heaven. Not just for to-day, but every day, the Pope is reminded, by all he sees and hears and suffers, through all the joys and sorrows he shares with his big world-family, that the future of that blessed Kingdom of Christ, with its promise of justice, love and peace, lies after all with you. The grown-ups, as He told us long ago,

* Datus die 2 Martii mensis a. 1949.

may only hope to build it and enjoy it when their hearts and hands become again as those of little ones.

But if Our radio-greeting comes to you to-day, from Peter's home in Rome, with an extra note of nearness and endearment, it is because the Holy Father has good reason to remember that the hearts and hands of His American boys and girls, thanks to their Catholic schooling, are open wider during the holy season of Lent to the year-in, year-out invitation of our Teacher, our Lord and our Life: "Learn of Me! Follow Me! Remain in My love!". And what better moment could you choose to show your brothers and sisters all over the world that you belong to Our Lord, now and forever, all that you are and all that you have received from Him?

The ashes Mother Church placed on your brow as Lent began were one more sign, for all who have eyes to see, of your need of Him. The purple she drapes on her statues and Cross during the time of the Passion, when we join our little sacrifice to His big one, to share His Easter victory, is one more sign of His strange, sweet need of you. You need Him now. He needs you now. He is our daily Lesson. He is our daily Companion. He is—O wonder of wonders!—our daily Bread. He is with us all days, even to the end of time, so that none of us may ever be able to say that we haven't the strenght or the light or the courage to follow wherever He leads, to love what He loves and hate only what He hates, to be good and do good for the world He asks us to help Him make one holy family at last.

What comfort it brings to Him now, and to His Body which is the Church, in face of the World's stubbornness and strife and sin, to notice that you, His little ones, are not living and studying, planning and praying through your years at school just for yourselves alone, but for all His far-flung family, with tenderness and pity like His own for those in poverty and pain?

As We were so proud and happy to tell you last year at this time, dear children, there are many hundreds of your little friends, in almost every country named in your geography, who live to thank and bless you, before the same altar and Cross of Christ, for remembering their need of Him and His need of them. Faithfully first in jour Lenten prayers; and then in the steady little stream of your Lenten gifts: food and clothes, games and toys, medicine and school-supplies, with the other simple good things the Lord meant each of them to have, as every Christian knows.

We know how much your hearts and hands have done to bring them

back to better health and happier homes, after the long nightmare of war and ruin. For they have told Us so, in the language of gratitude and forgiveness they speak so much better, it sometimes seems, than older folks. We have read their letters. We have seen their pictures. We have held them in our arms and blessed them in the Name of the God of love, as We bless you now, their Christian friends in need, their Christian friends indeed. Some of them will never see or walk again in this world. And others will never know, as He has given you to know, the welcome of a mother's kiss or a father's quiet smile when they come home from school. But you have helped them to see, and helped Us to remind them, that they are all the dearer to the Heart of Jesus and Mother Mary for having lost so soon these joys of earth, and borne so patiently for Him and her these cruel bodily pains. What you have given them is a Lenten treasure beyond all price : a share in your loyal friendship for the King Who by his holy Cross continues to redeem the world.

During this Lent, as you have heard already at home and in Church and at school, Mother Church is preparing her little ones everywhere to take their part in the great living pageant of prayer and penance she calls her Holy Year. She prays with you and for you that 1950 may really be for all men « the year of the great Return and of the great Pardon ». But while she prays, many of her sick and homeless little ones are crying still. They, too, are your brothers and sisters, every one of them. In the Holy Land, where the Christ-Child first made His home with us, and invited all children to come unto Him. In tormented, weary China. In noble Greece. In the crowded camps and emigrant boats. Still they cry for pity from your open hearts and hands! But again, much of Our fatherly joy in greeting you over the radio-waves to-day comes from being sure that you will hear and be kind to these other delicate lambs of the Good Shepherd's flock, as He has prompted you to be kind so often to so many in Lenten days gone by.

May your country and your homes, your class-rooms and your playgrounds be brighter with His light and grace as the Holy Year dawns on our wayward world, with its message of mercy to those who show mercy, and of peace in Our Lord to all little children of good will! That is the Holy Father's loving hope for you, generous sons and daughters of our dear America.

Whispering this and many another Holy Year hope to the motherly ear of Our Lady Immaculate, your country's Patroness in Heaven, We give you now, for a best goodbye to you and all your loved ones, young and old, fondly from Our heart the Papal Blessing.

HORTATIO

AD PAROCHOS URBIS ET CONCIONATORES SACRI TEMPORIS QUADRAGESIMALIS *

Il santo tempo quadragesimale vi ha riuniti ancora una volta intorno a Noi, diletti figli, desiderosi di ascoltare i Nostri consigli e di ricevere la Benedizione Apostolica per la vostra attività sacerdotale fra i fedeli affidati alle vostre cure.

Dubiteremmo Noi di accogliervi oggi con un cuore almeno alquanto alleggerito in confronto degli anni scorsi? Non già quasi che l'ora presente imponga al Clero in Italia doveri meno ardui e meno gravi di conseguenze. E tuttavia, se riandiamo col pensiero al corso di questo ultimo decennio, possiamo dire con un certo sollievo: La guerra è cessata; le piaghe morali, che nei primi tempi del dopoguerra sfiguravano il volto del nostro caro popolo, sono state in buona parte curate e la sua fisonomia appare già più normale. Ricordate anche l'ansietà che stringeva i cuori l'anno passato a questa stessa data: quale sarebbe stata la manifestazione della volontà del popolo italiano verso il fondamento cristiano della sua civiltà?

Il difficile passo fu felicemente varcato, ed umili azioni di grazia si elevano ancora alla Provvidenza divina per il suo misericordioso intervento.

Ma anche a voi, diletti figli, va la Nostra gratitudine; gli ultimi dieci anni di azione pastorale in Roma dicono infatti una grandiosa somma di lavoro, di zelo, di abnegazione, di coraggio, e, massime nelle parrocchie della periferia, di atti spesso eroici per la causa di Cristo e la salute delle anime. Ed ecco che ora un'altra circostanza solleva i nostri spiriti e sembra dar loro le ali: Roma si prepara all'Anno Santo, che, secondo le comuni previsioni, condurrà alla eterna Città numerosi gruppi di fedeli da quasi tutti i Paesi del mondo. La preparazione materiale e organizzativa è in pieno sviluppo. Ma assai più importante è che cammini di pari passo la preparazione spirituale a quell'anno di perdono, di grazia e di salvezza. Agli sforzi che già lodevolmente si compiono a tale scopo debbono cooperare tutti coloro che hanno la cura ordinaria delle anime.

Senza dubbio anche le opere straordinarie nelle loro molteplici forme di zelo sono utili, anzi indispensabili; specialmente oggi, di fronte all'indifferenza religiosa e all'ateismo, un vastissimo campo è aperto al loro esuberante fervore. Nè vi è pericolo che questo apostolato straordinario sia stimato al di sotto del suo valore; si ha invece non di rado l'impres-

* Data die 23 Martii mensis a. 1949.

sione che tale stima possa andare troppo oltre, non senza qualche danno della cura ordinaria delle anime, cui sopra accennavamo.

Questa invero rimane sempre l'elemento principale e fondamentale dell'apostolato, almeno là ove le istituzioni ecclesiastiche hanno messo salde radici e le condizioni religiose sono in qualche modo normali. Sempre e in ogni caso sarà necessario d'insegnare la dottrina della fede ai parrocchiani, giovani e vecchi, ma soprattutto ai bambini e agli adolescenti; sempre i fedeli dovranno trovarsi insieme la domenica per assistere al santo Sacrificio; sempre bisognerà amministrare loro i santi Sacramenti. E poichè parliamo della cura d'anime, Noi pensiamo qui specialmente al Sacramento della Penitenza, che richiede nel sacerdote una vita assolutamente esemplare, unita al senso di responsabilità, alla chiarezza e alla sicurezza del giudizio, al dominio di sè, alla prudenza e al tatto. Sempre altresì poveri e bisognosi busseranno alle porte della chiesa; sempre vi saranno malati da assistere e da confortare con gli ultimi Sacramenti, sempre defunti per cui si avranno da celebrare le esequie; sempre il sacerdote dovrà trovare il tempo per i colloqui personali coi suoi parrocchiani, e sempre la direzione delle organizzazioni e delle associazioni cattoliche esigerà da lui dedizione e pazienza, anche quando egli potrà affidare ai suoi collaboratori laici quegl'incarichi che questi sono in grado di adempire non meno bene di lui.

Tutto ciò è ministero ordinario. Esso è meno appariscente degli atti straordinari e delle grandi manifestazioni; è lavoro di tutti i giorni; si compie silenziosamente e passa spesso inosservato. Eppure dovrebbe in ogni tempo agire nel modo il più possibile perfetto, anche e precisamente al presente, poichè tutte le anime che le attività straordinarie guadagnano a Cristo o formidabili eventi conducono a Lui, debbono finalmente rientrare anch'esse nella cura ordinaria continua e profonda. Questa deve dare a tutti la sicurezza di essere accolti fra le braccia materne della Chiesa; per suo mezzo principalmente la Chiesa adempie l'ufficio di annunziare Cristo e di ammaestrare e guidare ogni uomo, affine di condurre tutti alla perfezione in Cristo Gesù. [1]

Ora dunque al centro della preparazione dei fedeli all'Anno Santo parecchi parroci hanno posto la Messa per gli uomini. In questa Messa, che aduna la domenica gli uomini della parrocchia, essi dischiudono loro la sostanza e il senso della santa liturgia. Il primo frutto di tale pratica è di far loro prendere parte in una maniera cosciente e personale al divino Sacrificio dell'altare. Ma questa partecipazione deve avere un eco, una

[1] Cfr. *Col.*, 1, 28.

risonanza nella vita quotidiana; perciò quegli zelanti pastori insegnano loro ad unire al sacrificio di Cristo i loro propri sacrifici, di cui la professione della fede e la condotta cristiana offrono durante la settimana abbondanti occasioni.

Noi lodiamo una tale usanza nel suo spirito e nel suo metodo. Essa pone il Sacrificio della Messa al suo vero posto, al cuore stesso della vita e di tutta l'attività dei vostri uomini. È già molto confortevole di vederli seguire devotamente la liturgia della Messa, soprattutto quando si pensa alla indecorosa ignoranza di tanti circa un mistero così sublime.

Tuttavia è di somma importanza il considerare gli effetti che dalla Messa per gli uomini si irradiano anche nel campo ecclesiastico e civile. Infatti

1) Istruiti e abituati a venerare e ad amare il santo Sacrificio della Messa, i vostri uomini diverranno facilmente uomini di preghiera e faranno della loro famiglia come un santuario di preghiera. E ciò è strettamente necessario. Chi potrebbe negare che lo spirito di orazione va diminuendo, mentre lo spirito del mondo guadagna terreno fino in seno a famiglie, che pretendono di rimanere cattoliche e fedeli a Cristo? Se la crociata per la preghiera in famiglia è accolta con fervore in altri Paesi; se perfino noti attori del più grande centro cinematografico del mondo si sono messi al servigio di una causa così santa; come potrebbero i cattolici della Città eterna rimanere inferiori?

2) Gli uomini, che si applicano seriamente a penetrare il senso e la portata del Sacrificio della Messa, non possono mancar di avvivare in loro stessi lo spirito di dominio di sè, di mortificazione, di subordinazione delle cose terrene alle celesti, di assoluta obbedienza alla volontà e alla legge di Dio, specialmente se voi avrete cura d'inculcare loro tali sentimenti. È questo un bisogno dell'ora presente, non meno del rinnovato zelo per la preghiera, poichè oggi molti — tra i quali è doloroso di veder anche non pochi cattolici — vivono come se il loro solo fine fosse di formarsi un paradiso sulla terra, senza alcun pensiero ai novissimi, all'al di là, alla eternità.

La tendenza naturale dell'uomo caduto verso le cose terrene, la sua incapacità di comprendere le cose dello Spirito di Dio, [2] è pur troppo favorita ai giorni nostri dalla complicità di tutto quanto lo circonda. Spesso Dio non vi è negato, nè ingiuriato, nè bestemmiato; Egli è come assente. La propaganda per una vita terrestre senza Dio è aperta, seduttrice, continua. Con ragione si è osservato che generalmente, anche nei

[2] Cfr. *I Cor.*, 2, 14.

« films » indicati come moralmente irreprensibili, gli uomini vivono e muoiono come se non vi fosse nè Dio, nè la redenzione, nè la Chiesa. Noi non vogliamo qui mettere in discussione le intenzioni; non è però men vero che le conseguenze di queste rappresentazioni cinematografiche neutre sono già estese e profonde. Si aggiunga poi la nefasta propaganda deliberatamente voluta per la formazione della famiglia, della società, dello Stato senza Dio. È un torrente le cui acque fangose tentano di penetrare fin nel campo cattolico. Quanti ne sono stati già contaminati! Con la bocca essi si professano ancora cattolici, ma non si accorgono che la loro condotta smentisce coi fatti quella professione.

Non vi è dunque più tempo da perdere, per arrestare con tutte le forze questo sdrucciolare delle nostre proprie file nella irreligiosità e per risvegliare lo spirito della preghiera e della penitenza. La predicazione delle prime verità della fede e dei fini ultimi non solo nulla ha perduto della sua opportunità ai nostri tempi, ma anzi è divenuta più che mai necessaria ed urgente. Anche la predica sull'inferno. Senza dubbio si deve trattare un simile argomento con dignità e con saggezza. Ma quanto alla sostanza stessa di questa verità, la Chiesa ha, dinanzi a Dio e agli uomini, il sacro dovere di annunziarla, d'insegnarla senza alcuna attenuazione, come Cristo l'ha rivelata, e non vi è alcuna condizione di tempi che possa far scemare il rigore di quest'obbligo. Esso lega in coscienza ogni sacerdote a cui, nel ministero ordinario o straordinario, è affidata la cura di ammaestrare, di ammonire e di guidare i fedeli. È vero che il desiderio del cielo è un motivo in sè stesso più perfetto che non il timore delle pene eterne; ma da ciò non consegue che esso sia per tutti gli uomini anche il motivo più efficace per tenerli lontani dal peccato e convertirli a Dio.

Meditate, diletti figli, le parole che il Signore alla vigilia della sua Passione rivolse all'Apostolo Pietro: Ecco che Satana va in cerca di voi per vagliarvi come il grano;[3] parole di un impressionante significato nel momento in cui viviamo. Esse valgono non solo per i pastori, ma anche per tutto il gregge. Nelle formidabili controversie religiose, di cui siamo testimoni, non si può fare vero assegnamento che sui fedeli, i quali pregano e si sforzano, anche a prezzo di grandi rinunzie, di conformare la loro vita alla legge di Dio. Tutti gli altri, nell'ordine spirituale — e di questo si tratta — si offrono allo scoperto ai colpi del nemico.

3) Un altro effetto della Messa per gli uomini, salutare non solo per loro personalmente, ma anche per le famiglie, sarà che essi chiuderanno gli occhi e il cuore a tutto ciò che nella stampa, nel « film », negli spetta-

[3] Luc., 22, 31.

coli, offende il pudore e viola la legge morale. Dove infatti, se non qui, dovrà veramente attuarsi lo spirito di penitenza e di abnegazione in unione con Cristo?

Quando si pensa, da una parte, alle nauseanti crudezze e impudicizie che si mettono in mostra nei giornali, nelle riviste, sullo schermo, sulle scene, e, d'altra parte, alla inconcepibile aberrazione di genitori che vanno coi loro figli a dilettarsi di simili orrori, il rossore sale sul volto, rossore di vergogna e di sdegno. La lotta contro questa peste, specialmente segnalandone le manifestazioni alle pubbliche autorità, ha conseguito già confortanti risultati e Noi nutriamo fiducia che essa divenga sempre più efficace e benefica.

Grazie al cielo, in alcune nazioni, particolarmente in quelle di più larga produzione cinematografica, i cattolici lavorano metodicamente e con felice successo alla moralità e alla dignità del « film ». Piaccia a Dio che i fedeli, i quali affluiranno a Roma durante l'Anno Santo, possano riportare nelle loro patrie l'impressione che anche i cattolici dell'Urbe sanno essere in questo campo vigilanti e operosi.

4) Noi attendiamo dalla comune assistenza degli uomini alla Santa Messa anche un altro frutto di capitale importanza: vogliamo dire lo spirito di filiale docilità e di piena adesione al Romano Pontefice, e di fraterna e stretta unione fra loro, ogni qualvolta si tratta di difendere la causa della Chiesa.

La causa della Chiesa! I suoi nemici hanno scatenato contro di lei una violenta campagna di parole e di scritti. Per loro tutti gli argomenti, anche i più assurdi, son buoni, se servono al fine cui tendono, e questo fine è di disgregare l'unità e la cooperazione dei cattolici, di scuotere la loro fiducia verso il Vicario di Cristo, i Vescovi, il Clero. La loro arma preferita è la calunnia, perchè ben sanno che essa non è mai del tutto inoffensiva, ma inocula negli spiriti il dubbio, il sospetto, la critica, e nei cuori una disaffezione, che talvolta giunge fino all'odio. Così l'obbedienza e la concordia sono esposte al pericolo di venire a poco a poco corrose e distrutte. Rileggete le parole di Cristo sul « padre della menzogna »: [4] lo stesso vale per questa campagna di calunnie.

Dite ai vostri parrocchiani che non si lascino sedurre nè traviare; che non prestino fede alle false accuse del nemico; che non leggano le sue pubblicazioni senza grave causa e senza la necessaria licenza, e in ogni caso senza essere abbastanza preparati per sapere come si risponde a quegli attacchi. Così saranno resi vani gli sforzi dell'avversario diretti ad inde-

[4] Io., 8, 44.

bolire e, se potesse, a spezzare la unità e la compattezza dei cattolici, unità la cui base visibile è la roccia di Pietro e la cui invisibile sorgente di forza sono il Sacrificio divino e la santa Mensa eucaristica.

Ben altri frutti possono ancora raccogliersi dalla Messa per gli uomini. Noi non ne abbiamo menzionati che alcuni fra quelli che sembrano maggiormente corrispondere alle necessità dell'ora e meglio servire alla preparazione interna dei fedeli romani all'Anno Santo.

Con questa fiducia, invocando su di voi e sul vostro lavoro apostolico la grazia dello Spirito Santo e la protezione della Madre Immacolata del Redentore, v'impartiamo con effusione di cuore la Nostra paterna Benedizione Apostolica.

ORATIO

PRO ANNO SACRO IUBILARI MCML

Omnipotens aeterne Deus, de magno Piacularis Anni munere ex animo Tibi gratias agimus.

Caelestis Pater, qui cuncta intueris, qui corda hominum scrutaris et dirigis, eosdem quaesumus, hoc tempore gratiae et salutis, ad vocem Filii Tui dociles reddas.

Da ut Piacularis Annus sit omnibus annus purificationis et sanctificationis, interioris vitae et expiationis, sit deviis annus felicis ad Te reditus et amplissimae remissionis.

Iis, qui persecutionem pro fide patiuntur, da Tuum spiritum fortitudinis, quo cum Christo eiusque Ecclesia indissolubiliter devinciantur.

Protege, Domine, Filii Tui in terris Vicarium, Episcopos, sacerdotes, religiosos, sodales et fideles. Fac ut omnes, sacerdotes et laici, adolescentes, adulti et senes, mentibus et animis arctissimo nexu inter se coniuncti, firmam veluti rupem efficiant, in qua inimicorum tuorum impetus illidantur.

Ope gratiae Tuae in cunctis hominum cordibus flagrans amor accendatur erga tot miseros, qui, egestate et rerum angustiis pressi, vitam degunt humana conditione indignam.

Excita in animis eorum, qui Te Patrem invocant, famem et sitim socialis iustitiae et fraternae caritatis in opere et veritate.

« Da pacem, Domine, in diebus nostris », pacem animis, pacem familiis, pacem patriae, pacem denique nationibus. Caelestis arcus pacis et reconciliationis universum terrarum orbem, vita et doloribus Divini Filii Tui sanctificatum, serenantis lucis suae radiis illustret.

Deus totius consolationis, magna quidem est miseria nostra, graves

sunt culpae, innumerae necessitates, sed multo maior in Te fiducia nostra. Infirmitatis nostrae conscii, sortes Tibi nostras filiorum more committimus, intercessionem ac merita Gloriosissimae Virginis Mariae et omnium Sanctorum exiguis precibus nostris adhibentes.

Da aegrotis patientiam et sanitatem, adolescentibus fidei robur, puellis castimoniam, patribus familiarum prosperitatem ac sanctitatem, matribus efficacitatem in munere filios educandi, orphanis benignam tutelam, domo profugis et captivis patriam, omnibus denique Tuam gratiam, exordium ac pignus aeternae in caelis felicitatis. Amen.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

DE FACULTATIBUS ET GRATIIS PRO AMERICA LATINA

Conspicua privilegia Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium Americae Latinae a Summo Pontifice Leone XIII fel. rec. ad trentennium concessa, Summus Pontifex Pius XI, fel. rec. iterum largitus est ad decennium « Litteris Apostolicis » diei 30 Aprilis 1929, quae, Decreto S. C. Consistorialis diei 18 Aprilis 1939, usque ad diem 30 Aprilis 1949 fuerunt confirmata.

Cum decimo exeunte anno, quos supra memoravimus, Americae Latinae Ordinarii, enixe, iisdem permanentibus adiunctis, postulaverint ut eadem privilegia prorogarentur, Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, de consulto SS. Dicasteriorum, pro materia ad unumquodque spectante, petitas facultates, nonnullis inductis immutationibus, quae opportunae visae sunt, omnibus et singulis Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae benigne confirmare et concedere dignatus est usque ad diem 31 Decembris 1959, iuxta modum qui infra sequitur :

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum, eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum ferre aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae a fel. rec. Decessore Nostro Paulo III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem, vel aliis gravibus de causis, omnes adhibere pro baptismo adultorum praescriptas coeremonias haud facile valeant, solis ritibus qui in Constitutione fel. rec. Pauli Pp. III *Altitudo* die 1 mensis Iunii an-

no MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum, secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato, deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes, numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote, ex Sedis Apostolicae delegatione, Sacramentum Confirmationis administrante (*A. A. S.*, XXVII, 11 seq.).

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes qui, Missionum causa, ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali sede dissitas pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, absente Ordinario, vel parocho, vel Vicario cooperatore, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observari permittant, matrimonii celebrationi, ad normam Codicis Iuris Canonici canonis 1019 et seq., praemitti debent; facta tamen huius Apostolici Indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus, iuris dumtaxat ecclesiastici, impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex Sacris Ordinibus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt; excepto quoque, ob rei gravitatem, impedimento de quo in canone 1075, nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Pariter venia iisdem conceditur decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta; facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Conceditur pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum atque illis in locis, in quibus ecclesia vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles, sacro adstantes, instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittitur ut a dominica Septuagesimae usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint.

11) Iisdem christifidelibus largitur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias et Iubilaea quae Confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 26 Martii 1949.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Episc. Sabin. et Mandel., *a Secretis.*

L. ✠ S.

B. Renzoni, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

Die 24 Februarii 1949. — Cathedrali Ecclesiae Łomzensi, praefecit R. D. Caeslaum Falkowski, professorem historiae ecclesiasticae in seminario archiepiscopali Vilnensi (Bialystok).

die 15 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Caruarensi R. D. Paulum Hippolytum de Souza Liborio, Vicarium Generalem dioecesis Teresianae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Pitanae Exc. P. D. Emanuel Ledvina, hactenus Episcopum Corporis Christi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Agbiensi R. P. Ignatium a Ribeirao Preto, in saeculo Ioannem dal Monte, O. F. M. C., quem deputavit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Pii Freitas Silveira, Episcopi Ioinvillensis.

die 17 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Axomitanae R. D. Carolum H. Helmsing, moderatorem Operis de Propaganda Fide Archidioecesis S. Ludovici, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi E. Ritter, Archiepiscopi S. Ludovici.

die 18 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Helenopolitanae in Palaestina R. D. Aloisium Ioannem Guyot, Vicarium Generalem Archidioecesis Burdigalensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Theophili Mariae Louvard, Episcopi Constantiensis.

die 30 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Penedensi R. P. Felicem da Cuncha Vasconcellos, O. F. M.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Laodicenae in Syria Exc. P. D. Guidonem Aloisium Bentivoglio, e Congregatione Cisterciensi S. Bernardi in Italia, hactenus Episcopum Abellinensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Carmeli Patanè, Archiepiscopi Catanensis.

die 1 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Patavinae Exc. P. D. Hieronymum Bartholomaeum Bortignon, hactenus Episcopum Bellunensem et Feltrensem.

die 8 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Ovetensi Exc. P. D. Franciscum Xaverium Lauzurica y Torralba, hactenus Episcopum Palentinum.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI ANNAE MARIAE JAVOUHEY, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A S. IOSEPH « DE CLUNY ».

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum ac duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.*

Benignissimus Deus ad damna reparanda, civili et religiosae Societati illata a teterrima perturbatione, quae decimo octavo saeculo exeunte et deciminoni initio in Gallia omnem ordinem pessumdederat, plures vīros atque mulieres, qui Evangelii praedicationi, puerorum et adulescentium educationi atque instructioni, infirmorum curae, pauperum populique necessitatibus omne genus sublevandis operam darent, misericorditer suscitavit, quorum non pauci ad altarium honores elevatī sunt. Inter hos iure merito Venerabilis Anna Maria Javouhey est annumeranda.

Haec enim anno 1779 in loco vulgo dicto Jallange intra Divionensis dioecesis fines nata, religiose a piis parentibus educata, adulescens, catholicorum insectatione saeviente, sacerdotes domo extorres atque ad necem quaesitos abscondere, divina mysteria secreto celebrantes ne detegerentur vigilare, graviter infirmis ne divina deessent subsidia curare, pueros puellasque catechesim docere in deliciis habuit.

Insectatione aliquantulum decrescente, divino mota impulsu, novum Institutum sub S. Ioseph Patriarchae patrocinio anno 1805 Cabillone condidit, cuius principem domum septem post annos Cluniacum transtulit.

Apostolico ardore fervens ad dissitas quoque regiones suas Filias misit, ipsa vero in Gallica Guyana plures annos mirabilia est operata, heroicisque virtutibus — caritate et fortitudine praesertim — mirabiliter refulsit. Anno 1851 Parisiis sancto fine quievit.

Servatis legibus ab Ecclesia statutis anno 1907 decretum super scriptis editum est, sequentique anno eius beatificationis causa fuit introducta. Anno 1909 Sacra haec Congregatio *Constare de cultu numquam praestito* edixit. Apostolicis inquisitionibus seu in Parisiensi, seu in Portus Principis Curiis iisque perpensis, die 27 Maii anno 1937 Pii Papae XI auctoritate virtutes a Serva Dei in gradu heroico fuisse exercitas Sacra haec Congregatio edixit.

Nuper vero, die nempe 19 Decembris anni elapsi, approbans duo miracula, eius unico interventu a Deo patrata, decretum est editum.

Ut autem constet omnia, quae a sacris canonibus requiruntur ad Beatificationem, fuisse ad unguem servata, coram Pontifice a Revmo Cardinali Ponente seu Relatore, omnibus Cardinalibus, Praelatis officialibus Patribusque Consultoribus dubium est proponendum: *An, stante heroicarum virtutum et duorum miraculorum approbatione,* Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Venerabilis Beatificationem,* quod infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus atque causae Ponens, in generali Congregatione die 18 Ianuarii mensis, anni huius fecit. Omnes, quotquot aderant, unanimiter in affirmativum suffragium consenserunt. Beatissimus vero Pater ad hanc diem sententiam Suam edere distulit, Dominicam Septuagesimae, interim divinum beneplacitum suis adstantiumque precibus agnoscere implorans. Quapropter infrascriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum atque Causae Ponentem seu Relatorem nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem, meque Secretarium arcessivit, sacroque pientissime litato, edixit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Annae Mariae Javouhey Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Apostolicasque litteras sub anulo Piscatoris, de sollemnibus Beatificationis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

BRIXIEN.

CANONIZATIONIS B. BARTHOLOMAEAE CAPITANIO, VIRGINIS, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab Apostolica Sede venerationem, TUTO *procedi possit ad eiusdem Beatae Canonizationem.*

S. Laurentius a Brundusio illud Evangelii exponens de grano sinapis et de fermento : « Duo hic sacra continentur mysteria, scribit, humilitatis et caritatis Christi in utraque parabola ; humilitatis, quoniam granum sinapis minimum est et fermentum modicum et nullius fere pretii ac valoris ; caritatis autem, quoniam calidissimum est sinapis granum, totum fere igneum ; et fermentum similiter suo calore massam conspergit et excrescere facit » (Op. Omn. vol. V, p. 19. Patavii 1938). B. Bartholomaea Capitanio humilitate et caritate fuit vere sinapis granum et fermentum ; similisque sinapi et fermento propter Institutum ab ea fundatum, quod a Beata Vincentia Gerosa ad eius mentem perfectum ac per orbem dilatatum, innumeras animas Deo acquisivit et ad christianam perfectionem adduxit.

Sanctis operibus diximus B. Bartholomaeam fulsisse, quod non modo ex sanctitatis fama, in christiano populo vigente, comprobatur; unde Beatificationis causa anno 1866 apud sacram hanc Congregationem die 8 Martii mensis, post 33 annos ab eius sancta morte, fuit introducta ; sed etiam ex eo quod causa haec adeo progressa est, ut, et heroicae virtutes die 6 Ianuarii a. 1902, atque miracula die 2 Maii a. 1926 probata fuerint atque Beatificationis honores ei die 30 Maii a. 1926 fuerint tributi. Immo novis accedentibus, praeter naturae ordinem, signis, canonizationis causa die 17 Aprilis a. 1940 fuit resumpta ; eaque, uti vera miracula, per decretum die 13 Februarii mensis anni huius, probata fuerunt. Ut autem iuridice constet omnia, quae a sacris canonibus pro canonizatione requiruntur, a sacra hac Congregatione fuisse servata, dubium disceptandum est *An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam ab Apostolica Sede Eidem Beatae venerationem,* TUTO *procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem.* Quod in Generali Congregatione coram Ssmo D. N. Pio Papa XII Rmus Cardinalis Fridericus Tedeschini, causae

Ponens seu Relator, die 22 Februarii proposuit; cui quotquot aderant Rmi Cardinales, Officiales Praelati ac Patres Consultores unanimi favorabili suffragio responderunt. Beatissimus vero Pater Suam sententiam differre aliquantisper ratus est, ut maiori a Deo lumine illustraretur.

Diem hanc 6 Martii, Dominicam primam sacrae Quadragesimae, selegit ut Suam proferret sententiam.

Quapropter accitis Rmis Cardinalibus Friderico Tedeschini, causae Ponente, atque infrascripto S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei promotore generali meque Secretario, sacrosancto Missae sacrificio pientissime celebrato, edixit: TUTO *procedi posse ad Beatae Bartholomaeae Capitanio sollemnem Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 6 Martii A. D. 1949.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

III

SAVONEN.

CANONIZATIONIS B. MARIAE IOSEPHAE ROSSELLO, E TERTIO ORDINE S. FRANCISCI, FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM DOMINAE NOSTRAE A MISERICORDIA.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam Eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, TUTO *procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem.*

Eo magis christianam perfectionem quis attinget, quo magis Christi vitam imitari studet, dicente Domino: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me* (Mt. 16, 24).

Quare nemo potest Christum sequi, nisi prius proprias passiones compescat totoque corde totaque anima Deum proximosque propter Deum amet, paratus, si necesse sit, usque ad extremam sui iacturam, vitam ipsam, sive pro Dei gloria, sive pro salute proximorum effundere. B. Maria Iosepha Rossello, Albissolae Marinae prope Savonam nata, Episcopo moderante, Institutum *Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia,* anno

1837 condidit, atque a Dei amore vehementer impulsa, seipsam abnegavit, pro animarum salute se impendit ac superimpendit, ludos, hospitalia moderans, refugia, domos poenitentibus feminis constituens, pro clericis instituendis collegium condens, atque alia fere innumera opera perficiens, uni Deo fidens, atque speciali S. Patriarchae Ioseph patrocinio, cuius nomen in religione voluit illi B. Virginis coniunctum assumere. Anno 1880 ad superos evolavit. Servatis de iure servandis, eius Beatificationis causa anno 1924 fuit apud hanc sacram Congregationem introducta; heroicae eius virtutes anno 1936, miracula vero anno 1938 fuerunt approbata, sollemnia beatificationis a Pio XI fel. rec. anno 1938 concessa. Novis accedentibus signis, causa a. 1941 fuit resumpta, duoque miracula die 13 proxime elapsi mensis fuerunt approbata. Quare, ut constaret a sacra hac Congregatione omnia quae a iure pro canonizandis praecipiuntur fuisse servata, nil aliud requirebatur, nisi ut dubium discuteretur: *An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam ab Apostolica Sede Eidem Beatae venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem.*

Dubium hoc ab infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto atque Causae Ponente, in generali Sacrae huius Congregationis coetu, die 22 Februarii, coram SS. D. N. Pio Papa XII habito, propositum fuit, cui omnes cum Cardinales, tum Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi consensu *Affirmative* responderunt.

Beatissimus vero Pater aliquantisper cunctandum esse ratus est ut divinum beneplacitum apertius Sibi daretur agnosci, antequam supremam Suam sententiam ederet. Effusis itaque precibus, diem hanc Dominicam primam Sacrae Quadragesimae selegit ut suam ederet sententiam. Quapropter ad Se infrascriptum Cardinalem, Causae Ponentem, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem meque Secretarium arcessivit, sacroque rite celebrato, edixit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Beatae Mariae Iosephae Rossello canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 6 Martii A. D. 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

5 marzo 1949. Il Revmo Padre Bea Agostino, della Compagnia di Gesù, *Consultore della Sacra Congregazione del Santo Offizio.*

» aprile » Il Revmo Padre Grammatico Alberto, dell'Ordine dei Carmelitani dell'Antica Osservanza, *Consultore della Sacra Congregazione del Concilio* (1ª sezione).

» » » Il Revmo Don Muzio Giuseppe, della Società Salesiana di san Giovanni Bosco, *Consultore della Sacra Congregazione del Concilio* (1ª sezione).

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Prelati Domestici di Sua Santità:

10 gennaio 1946. Monsig. Kümmelmann Gregorio, dell'archidiocesi di Bamberga.

26 » » Monsig. de Andrada Lima Giuseppe, dell'archidiocesi di San Salvatore della Baia.

» » » Monsig. Mata Annibale, della medesima archidiocesi.

» » » Monsig. Silva Appio, della medesima archidiocesi.

2 marzo » Monsig. Graf Giorgio, della diocesi di Augusta.

30 ottobre » Monsig. Oesch Alberto, della diocesi di San Gallo.

23 novembre » Monsig. Meisenzahl Giuseppe, della diocesi di Würzburg.

21 dicembre » Monsig. Belanger Renato, della diocesi di Golfo S. Lorenzo.

» » » Monsig. Karas Giuseppe, della diocesi di S. Ippolito.

» » » Monsig. Laaber Francesco, della medesima diocesi.

» » » Monsig. Matzinger Stefano, della medesima diocesi.

» » » Monsig. Schrattenholzer Luigi, della medesima diocesi.

23 marzo 1947. Monsig. Kranz Gaspare, della diocesi di Treviri.

25 maggio 1947. Monsig. Hirt Simone, dell'archidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
» » » Monsig. Vögtle Giuseppe, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Serpa do Rosario Noronha Castiglio, dell'archidiocesi di Goa.
20 giugno » Monsig. Breuer Carlo, della diocesi di Berlino.
» » » Monsig. Stoiber Giuseppe, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Uhl Leopoldo, della medesima archidiocesi.
27 novembre » Monsig. Draxler Carlo, della diocesi di S. Ippolito.
» » » Monsig. Frank Carlo, della medesima diocesi.
26 dicembre » Monsig. Quitadamo Nicola, dell'archidiocesi di Manfredonia.
8 gennaio 1948. Monsig. Calandrone Francesco, della diocesi di Savona.
» » » Monsig. Cerruti Giacomo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Fazio Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Frecceri Alfonso Maria, della medesima diocesi.
13 maggio » Monsig. Carney Tommaso A., della diocesi di Galveston.
» » » Monsig. Daly Michele I., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Dronilket Enrico A., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Kirwin Giacomo M., della medesima diocesi.
11 agosto » Monsig. Lawley Giovanni J., della diocesi di Harrisburg.
» » » Monsig. Maguire Giovanni A., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Schweich Giuseppe J., della medesima diocesi.
21 » » Monsig. Smith Giorgio L., della diocesi di Charleston.
22 settembre » Monsig. Corvi Antonio (Roma).
26 » » Monsig. Gubinelli Giuseppe, della diocesi di Matelica.
» » » Monsig. Buttner Giorgio J., dell'archidiocesi di Newark.
» » » Monsig. Clark Giovanni H., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Costelloe Guglielmo A., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Gormëly Giovanni J., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Hughes Giacomo A., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Kelly Giuseppe M., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Murphy Giorgio M., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Owens Giacomo J., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Schonhart Andrea I., della medesima archidiocesi.
3 ottobre » Monsig. Linkenmeyer Giuseppe, dell'archidiocesi di Dubuque.
20 » » Monsig. Baron Giuseppe, della diocesi di Berlino.
9 novembre » Monsig. Pallaroni Agostino, della diocesi di Piacenza.
13 » » Monsig. Melas Gavino, della diocesi di Ozieri.

13 novembre 1948. Monsig. Krupavicius Michele, della diocesi di Vilkaviskis.
14 » » Monsig. Burke Tommaso, della diocesi di Burlington.
» » » Monsig. Campeau Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Delnotaro Carlo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Pariseau Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Welch Francesco, della medesima diocesi.
19 » » Monsig. Simonetti Ferdinando, dell'archidiocesi di Lucca.
21 » » Monsig. Spiteri Dino, della diocesi di Parenzo e Pola.
25 » » Monsig. Mc Mahon Tommaso, dell'archidiocesi di New York.
26 » » Monsig. Le Net Pietro, della diocesi di Les Cayes.
7 dicembre » Monsig. Colombo Giovanni, dell'archidiocesi di Milano.
9 » » Monsig. Glennon Riccardo, dell'archidiocesi di Dublino.
» » » Monsig. Pititto Francesco, della diocesi di Mileto.
» » » Monsig. Meles Virdis Antonio, della diocesi di Ozieri.
» » » Monsig. Ferrari Giacomo, della diocesi di Piacenza.
13 » » Monsig. Condon Patrizio, della diocesi di Armidale.
» » » Monsig. Mc Dermott Giovanni, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Del Vecchio Antonio, dell'archidiocesi di Cosenza.
» » » Monsig. Picchinenna Domenico, della diocesi di Melfi e Rapolla.
» » » Monsig. Procopio Gregorio, della diocesi di Squillace.
21 » » Monsig. Gugliada Francesco, della diocesi di Tortona.
29 » » Monsig. Magliocchetti Marcello (Roma).
10 gennaio 1949. Monsig. Burkhart Federico W., della diocesi di Columbus.
» » » Monsig. Goebel Tiburtino A., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Nolan Tommaso L., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Schlernitzauer Antonio G., della medesima diocesi.
16 » » Monsig. Bertolucci Eligio, della diocesi di Apuania.
» » » Monsig. Macacek Erminio, del patriarcato di Venezia.
18 » » Monsig. Daffini Luigi, della diocesi di Brescia.
» » » Monsig. Carbonneau Wilfrido, della diocesi di S. Giovanni di Québec.
» » » Monsig. Frenetti Emiliano, della medesima diocesi.
30 » » Monsig. Coscia Giuseppe, dell'archidiocesi di Benevento.
» » » Monsig. Musto Biagio, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Kadathala Kinnappa, della diocesi di Guntur.
» » » Monsig. Cennari Giuseppe, della diocesi di Lodi.
» » » Monsig. Caselli Bernardino, dell'archidiocesi di Torino.
1 febbraio » Monsig. Boeri Orazio, della diocesi di Albenga.

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

27 luglio 1944. Monsig. Kunstmann Giuseppe, della diocesi di Augusta.
» » » Monsig. Strobl Giovanni, della medesima diocesi.
26 ottobre » Monsig. Marschang Giovanni, della diocesi di Aquisgrana.
9 novembre » Monsig. Doergens Enrico, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Czeloth Enrico, dell'archidiocesi di Paderborn.
30 » » Monsig. Müller Ulderico, della diocesi di Augusta.
22 gennaio 1946. Monsig. Seatl Antonio, dell'archidiocesi di Bamberga.
14 marzo » Monsig. Schwickert Riccardo, della diocesi di Limburgo.
2 maggio » Monsig. Janik Emiliano, della diocesi di Passavia.
» » » Monsig. Penzkofer Ludovico, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Thalhamer Giuseppe, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.
26 settembre » Monsig. Kuhn Leopoldo, della diocesi di Uruguajana.
» » » Monsig. Testani Vincenzo, della medesima diocesi.
11 novembre » Monsig. de Macedo Francesco Saverio, della diocesi di Penedo.
» » » Monsig. De Medeiros Dionisio, della medesima diocesi.
23 » » Monsig. Nicopelli Enrico, della diocesi di Piracicaba.
21 dicembre » Monsig. Hofmann Giovanni, della diocesi di S. Ippolito.
12 gennaio 1947. Monsig. de Oliveira Luigi Carlo, dell'archidiocesi di Maceiò.
22 » » Monsig. Madureira Mancini Girolamo, della diocesi di Guaxupé.
» » » Monsig. do Amaral Teixeira Gerardo Maiella, della medesima diocesi.
2 maggio » Monsig. Hennen Bernardo, della diocesi di Treviri.
25 » » Monsig. Helm Federico, dell'archidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
14 luglio » Monsig. Aguiar Lorenzo, della diocesi di Valparaiso.
» » » Monsig. Espinoza Dublè Adriano, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Lazcano Elladio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Marambio Nemesio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Rivera Luigi Alberto, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Rojas Isaia, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Ruiz Santander Guglielmo, della medesima diocesi.
31 agosto » Monsig. Krapf Giuseppe, dell'archidiocesi di Salisburgo.
29 ottobre » Monsig. Da Costa Gioacchino Vincenzo, dell'archidiocesi di Evora.
19 dicembre » Monsig. Matos Soares Emanuele, della diocesi di Porto.
27 » » Monsig. Schmid Leopoldo, della diocesi di Sant'Ippolito.

27 dicembre 1947. Monsig. Steiner Giovanni, della medesima diocesi.
3 febbraio 1948. Monsig. De Oliveira Reis Antonio, del patriarcato di Lisbona.
13 aprile » Monsig. Cardinale Igino, dell'archidiocesi di Gaeta.
» maggio » Monsig. Hanus Francesco, della diocesi di Berlino.
20 » » Monsig. Cascio Calogero, della diocesi di Agrigento.
» » » Monsig. Cassar Antonio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Polizzi Calogero, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Variotempo Calogero, della medesima diocesi.
2 giugno » Monsig. Whitty Pietro, dell'archidiocesi di Liverpool.
14 luglio » Monsig. Terranova Guido, dell'archidiocesi di Salerno.
3 agosto » Monsig. Costas Avelino, della diocesi di Santa Croce della Sierra.
7 » » Monsig. Harnett Giuseppe J., dell'archidiocesi di Philadelphia.
21 » » Monsig. Boyle Giacomo M., dell'archidiocesi di Sant'Antonio.
» » » Monsig. Foegelle Pietro L., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Manning Giuseppe L., della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Pustka Giuseppe A., della medesima archidiocesi.
10 settembre » Monsig. Stack Kenneth G., della diocesi di San Diego.
26 » » Monsig. Calcaterra Luigi, della diocesi di Matelica.
» » » Monsig. Looney Giacomo F., dell'archidiocesi di Newark.
» » » Monsig. Powers Tommaso H., della medesima archidiocesi.
9 ottobre » Monsig. Gentile Luigi, della diocesi di suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.
20 » » Monsig. Vitelli Amleto (Roma).
9 novembre » Monsig. Venezia Pasquale, della diocesi di Avellino.
» » » Monsig. Travaglianti Gaetano, della diocesi di Patti.
13 » » Monsig. Franceschi Alessandro, della diocesi di Massa Marittima.
» » » Monsig. Starkus Ignazio, della diocesi di Vilkaviskis.
9 dicembre » Monsig. Magri Giovanni, della diocesi di Caltanissetta.
» » » Monsig. Havass Geysam, della diocesi di Csanád.
» » » Monsig. Riezzo Nicola, della diocesi di Lecce.
» » » Monsig. Casuscelli Ottavio, della diocesi di Mileto.
» » » Monsig. De Lorenzo Pasquale, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Perri Domenico, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Casale Alessandro, della diocesi di Novara.
» » » Monsig. Piana Edoardo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Carini Anselmo, della diocesi di Piacenza.
» » » Monsig. Fumagalli Stefano, della medesima diocesi.

9 dicembre 1948. Monsig. Tammi Guido, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Persico Carlo, dell'archidiocesi di Sorrento.
» » » Monsig. Galli Felice, della diocesi di Viterbo.
13 » » Monsig. Balduin Aldo, della diocesi di Adria.
» » » Monsig. Giusberti Ennio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Apa Giovanni, dell'archidiocesi di Catanzaro.
» » » Monsig. Barbarito Michele, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Fragola Pietro, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Chiodo Alfonso, dell'archidiocesi di Cosenza.
» » » Monsig. Cozza Francesco, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Fata Gaetano, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Schmenk Gilberto, della diocesi di Wichita.
17 » » Monsig. Wiprächtiger Leonzio, della diocesi di Basilea.
23 » » Monsig. Michelucci Giuseppe, dell'archidiocesi di Lucca.
31 » » Monsig. Breschi Curzio, della diocesi di Massa Marittima.
10 gennaio 1949. Monsig. Ceusins Giuseppe L., della diocesi di Columbus.
» » » Monsig. Mason Giorgio Oliviero, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Winel Rolando T., della medesima diocesi.
12 » » Monsig. Lanzoni Angelo, della diocesi di Faenza.
» » » Monsig. Damonte Luigi, dell'archidiocesi di Genova.
» » » Monsig. Castagna Ernesto, della diocesi di Ischia.
» » » Monsig. Senese Vincenzo, della medesima diocesi.
14 » » Monsig. Mauro Antonio, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.
16 » » Monsig. Federico Gioacchino, della diocesi di Piazza Armerina.
» » » Monsig. Ciampolillo Giuseppe, della diocesi di Sant'Angelo dei Lombardi.
» » » Monsig. Mezzaroba Umberto, del patriarcato di Venezia.
20 » » Monsig. Nowicki Stanislao, della diocesi di Lodz.
» » » Monsig. Rembowski Stefano, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Woroniecki Antonio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Dudziec Pietro, della diocesi di Plock.
» » » Monsig. Piechna Zdzislao, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Senti Riccardo, della diocesi di San Gallo.
30 » » Monsig. Palmieri Amedeo, della diocesi di Cariati.
» » » Monsig. Haller Antonio, dell'archidiocesi di Trento.
» » » Monsig. Lona Giuseppe, della medesima archidiocesi.
1 febbraio » Monsig. Holzer Lorenzo, del vicariato apostolico di Finlandia.
» » » Monsig. Conti Ferrero, della diocesi di Orte.
» » » Monsig. Zanchin Mario, della diocesi di Padova.

1 febbraio 1949. Monsig. Venturini Leopardo, della diocesi di Viterbo e Tuscania.
» » » Monsig. Pasquetti Lelio, della diocesi di Vittorio Veneto.
3 » » Monsig. Zappulla Nunzio, della diocesi di Noto.
17 » » Monsig. Capula Giovanni, della diocesi di Ampurias e Tempio.
» » » Monsig. Angioni Antonio, della diocesi di Ozieri.
» » » Monsig. Tickle Geraldo W., della diocesi di Shrewsbury.
19 » » Monsig. Basile Felice, della diocesi di Nola.
» » » Monsig. Borrasi Romano, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Cannavacciulo Domenico, della medesima diocesi.
» » » Monsig. D'Amelio Umberto, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Esposito Nicola, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuliano Salvatore, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Graziano Antonio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Sperandeo Matteo, della medesima diocesi.
25 » » Monsig. Croce Vincenzo, della diocesi di Castellammare di Stabia.
» » » Monsig. Ciarrocchi Mario, della diocesi di Montalto.
» » » Monsig. Carbone Carlo (Roma).

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari di S. S.:

4 aprile 1946. Il sig. Towle Raimondo, della diocesi di Eichstätt.
23 dicembre 1948. Il sig. Cartier Pietro Camillo, dell'archidiocesi di New York.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità:

21 dicembre 1946. Monsig. Feiertag Francesco, della diocesi di Sant'Ippolito.
» » » Monsig. Höfinger Leopoldo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Riedl Giovanni, della medesima diocesi.
13 novembre 1948. Monsig. Dassi Lorenzo, dell'archidiocesi di Udine.
15 » » Monsig. Fabrizio Vincenzo, della diocesi di Melfi e Rapolla.
» » » Monsig. Rosco Francesco, della medesima diocesi.
16 gennaio 1949. Monsig. Foti Francesco, della diocesi di Acireale.
» » » Monsig. Patanè Salvatore, della medesima diocesi.
20 » » Monsig. Zawistowski Romualdo, della diocesi di Plock.
1 febbraio » Monsig. Rossi Attilio (Roma).

Cappellani d'onore extra urbem *di Sua Santità*:

17 febbraio 1949. Monsig. Tattanelli Ettore, della diocesi di Cortona.
19 » » Monsig. Romei Domenico, della diocesi di Avellino.

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

23 novembre 1946. Al sig. de Villenfagne de Vogelsank Giovanni, della diocesi di Liegi.
16 luglio 1947. Al sig. Breuer Varlo, della diocesi di Aquisgrana.
3 febbraio 1948. Al sig. Calvino Vincenzo (Roma).
28 ottobre » Al sig. Trabaldo Togna Adolfo, dell'archidiocesi di Vercelli.
» » » Al sig. Trabaldo Togna Flaminio, della medesima archidiocesi.
11 dicembre » Al sig. Ventrone Camillo, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Al sig. Martelli Mario, della diocesi di Novara.
» » » Al sig. Tiboni Ignazio, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Caccia Anselmo, dell'archidiocesi di Pisa.
17 » » Al sig. Sehnaoui Giovanni, dell'archidiocesi di Damasco.
18 gennaio 1949. Al sig. Frigerio Alessandro, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Arduini Francesco, della diocesi di Verona.
» » » Al sig. Nicoletti Antonio, della medesima diocesi.
20 » » Al sig. Angeli Carlo, dell'archidiocesi di Firenze.
28 » » Al sig. Pizzillo Giuseppe, dell'archidiocesi di Monreale.
» » » Al sig. Rocco Nicola, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Al sig. Pieroni Oreste, dell'archidiocesi di Sassari.
» » » Al sig. Leimonas Giuseppe, della diocesi di Vilkaviskis.
30 » » Al sig. Maakad Adib, del patriarcato di Antiochia dei Melchiti.
3 febbraio » Al sig. De Antoni Pietro, dell'archidiocesi di Udine.
7 » » Al sig. Baldassini Alessandro, della diocesi di Pesaro.
17 » » Al sig. Liotta Carlo, dell'archidiocesi di Ancona.
» » » Al sig. Parma Emilio, dell'archidiocesi di Milano.
19 » » Al sig. El Masri Ghali, del patriarcato di Alessandria dei Copti.
» » » Al sig. Goubrail Antonio, del medesimo patriarcato.
» » » Al sig. Selim Antonio, del medesimo patriarcato.
» » » Al sig. Cavazzoni Stefano, dell'archidiocesi di Milano.
23 » » Al sig. Wernert Eugenio (Francia).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare:

11 maggio 1948. Al sig. generale Geoffrey P. Balduin (U. S. A.).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

23 maggio 1948. Al sig. Hamblen Giacomo, della diocesi di Galveston.
» » » Al sig. Hamilton Bernardo G., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Lopez Giovanni Lewis, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Mulvey Giovanni R., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Nash Giacomo F., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Rick Giorgio A., della medesima diocesi.
4 luglio » Al sig. Nasta Gaetano, della diocesi di Mazara del Vallo.
» » » Al sig. Boccardo Carlo (Roma).
21 agosto » Al sig. Haywood Enrico H., della diocesi di Trenton.
» » » Al sig. Jennings Edoardo J., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Kearns Antonio P., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Mc Guinness Giovanni P., della medesima diocesi.
26 settembre » Al sig. Ruberto Antonio, della diocesi di Trivento.
28 ottobre » Al sig. Boccart Emilio, della diocesi di Namur.
25 novembre » Al sig. dott. Wahba el Masri (Egitto).
9 dicembre » Al sig. Rizzi Marino, della diocesi di Cremona.
28 gennaio 1949. Al sig. Milano Nicola, dell'archidiocesi di Amalfi.
» » » Al sig. Pansa Pasquale, della medesima archidiocesi.
30 » » Al sig. Toutounghi Giuseppe, del patriarcato di Antiochia dei Melchiti.
» » » Al sig. Toutounghi Nasri, del medesimo patriarcato.
» » » Al sig. Camilleri Luigi G., del vicariato apostolico di Egitto.
3 febbraio » Al sig. Sigurtà Carlo, della diocesi di Verona.
17 » » Al sig. Perrone Ugo, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.
19 » » Al sig. Aryan Mourad, del patriarcato di Alessandria dei Copti.
» » » Al sig. Sahyoun Atalla, del medesimo patriarcato.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

17 dicembre 1945. Al sig. Cosse de Maulde Vincenzo, della diocesi di Tournai.
16 luglio 1947. Al sig. Habel Ferdinando, dell'archidiocesi di Vienna.
29 febbraio 1948. Al sig. Di Cagno Vitantonio, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Tansella Giuseppe, della medesima archidiocesi.
11 agosto » Al sig. Ferraris Vittorio, dell'archidiocesi di Milano.
24 ottobre » Al sig. Ravina Alfonso, della diocesi di Albenga.
» » » Al sig. Centola Domenico, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Barbera Giuseppe, della diocesi di Biella.
26 » » Al sig. Crosta Pietro, dell'archidiocesi di Milano.
28 » » Al sig. Franchi Pietro, della diocesi di Bergamo.

28 ottobre 1948. Al sig. Cazzella Carlo, della diocesi di Gallipoli.
» » » Al sig. Anelli Giuseppe, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Nicolai Gaetano (Roma).
26 novembre » Al conte Spaur Volkmar, dell'archidiocesi di Vienna.
9 dicembre » Al sig. Sticchi Oronzo, del vicariato apostolico di Eritrea.
» » » Al sig. Patucca Enrico, dell'archidiocesi di Chieti.
» » » Al sig. Guglielmino Stefano, della diocesi di Susa.
» » » Al sig. Fuselli Mario, dell'archidiocesi di Vercelli.
11 » » Al sig. Marazza Ercole (Roma).
» » » Al sig. Rossini Carlo (Roma).
17 » » Al sig. Lombardi Antonio, della diocesi di Ascoli Satriano.
» » » Al sig. De Lectis Mario, dell'archidiocesi di L'Aquila.
16 gennaio 1949. Al sig. dell'Olivo Giovanni Battista, del patriarcato di Venezia.
» » » Al sig. Tinebra Enrico, del medesimo patriarcato.
18 » » Al sig. Menonna Michele, dell'archidiocesi di Matera.
» » » Al sig. Tajani Francesco, della diocesi di Nocera dei Pagani.
» » » Al sig. Giuntini Aldo (Roma).
» » » Al sig. Cascione Rocco, della diocesi di Ventimiglia.
» » » Al sig. Lodo Giuseppe, della medesima diocesi.
28 » » Al sig. Volante Luigi, della diocesi di Alessandria.
» » » Al sig. Rossi Donato, della diocesi di Andria.
» » » Al sig. Caianello Pasquale, della diocesi di Aversa.
» » » Al sig. Simone Michele, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Tramonte Salvatore, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giusti Oliviero, della diocesi di Chiusi.
» » » Al sig. Archi Ulisse, della diocesi di Faenza.
» » » Al sig. Sorice Francesco, della diocesi di Nola.
» » » Al sig. Sorice Luigi, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Antonelli Francesco (Roma).
» » » Al sig. Ronca Vincenzo, della diocesi di Sant'Angelo dei Lombardi.
» » » Al sig. Innorta Giuseppe, dell'archidiocesi di Siracusa.
» » » Al sig. Campisi Sebastiano, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Cappuccio Carmelo, della medesima archidiocesi.
30 » » Al sig. Lo Ying Keng Francesco, dell'archidiocesi di Pekino.
3 febbraio » Al sig. Castaldo Cuono, della diocesi di Acerra.
» » » Al sig. Guariglia Salvatore, dell'archidiocesi di Salerno.
7 » » Al sig. Tesauro Giuseppe, della diocesi di Pesaro.
17 » » Al sig. Pacini Riccardo, dell'archidiocesi di Ancona.

17 febbraio 1949. Al sig. Benintendi Giuseppe, della diocesi di Caltanissetta.
» » » Al sig. Moiraghi Ettore, della diocesi di Como.
» » » Al sig. Rombai Alberico, della diocesi di Massa Marittima.
» » » Al sig. Diana Antonio, dell'archidiocesi di Oristano.
» » » Al sig. Buzzai Enrico, della diocesi di Pesaro.
» » » Al sig. Berucci Mario (Roma).
» » » Al sig. Ciminelli Guglielmo (Roma).
» » » Al sig. Perardi Emilio, dell'archidiocesi di Torino.
19 » » Al sig. De Rossi Guido, del vicariato apostolico di Eritrea.
5 marzo » Al sig. Brasile Pietro, dell'archidiocesi di L'Aquila.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

23 maggio 1948. Al sig. Capponi Ubaldo, della diocesi di La Spezia.
10 giugno » Al sig. Luber Giovanni G., dell'archidiocesi di Washington.
14 luglio » Al sig. Roberti Erminio (Roma).
24 ottobre » Al sig. Bena Vincenzo, della diocesi di Biella.
» » » Al sig. Caldarini Giovanni, della diocesi di Como.
28 » » Al sig. Santambrogio Mario, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Kaminski Francesco (Roma).
» » » Al sig. Realacci Guido, della diocesi di Veroli.
19 novembre » Al sig. Lampugnani Raffaele, dell'archidiocesi di Milano.
24 » » Al sig. Battistini Giovanni, della diocesi di Cesena.
» » » Al sig. Boschetti Luigi, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Villani Giuseppe, della medesima diocesi.
9 dicembre » Al sig. Montagna Lino, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Garrone Giuseppe, della diocesi di Ogliastra.
» » » Al sig. Calabresi Carlo (Roma).
» » » Al sig. Mattioli Ernani (Roma).
» » » Al sig. Patana Dante, della diocesi di Sulmona.
» » » Al sig. Matossi L'Orsa Isidoro, della diocesi di Susa.
11 » » Al sig. De Lillo Gennaro, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Al sig. Conti Carlo, dell'archidiocesi di Milano.
17 » » Al sig. Buschi Aurelio, della diocesi di Osimo.
26 » » Al sig. Mendis Giuseppe, della diocesi di Lucknow.
16 gennaio 1949. Al sig. Selvaggio Luigi, del patriarcato di Venezia.

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 5 - 25 Aprilis 1949)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

PAG.

Redemptoris nostri cruciatus. - Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de Sacris Palaestinae Locis. - 15 Aprilis 1949 161

MOTU PROPRIO

Quandoquidem. - De Pontificio S. Eugenii Instituto pro sacrorum administris a sacerdotio recentibus. - 2 Aprilis 1949 165

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *De Lydenburg.* - Praefectura Apostolica de Lydenburg in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur. - 9 Decembris 1948 167

II. *De Oudtshoorn.* - Praefectura Apostolica de Oudtshoorn in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur. - 9 Decembris 1948 169

III. *De Ndola.* - Praefectura Apostolica de Ndola in Vicariatum eiusdem nominis evehitur. - 13 Ianuarii 1949 . . 170

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Decus ornamentumque.* - Cathedralis Metropolitana Ecclesia Caesaraugustana, Deo in honorem B. V. Mariae de Columna dicata, titulo Basilicae Minoris ornatur. - 24 Iunii 1948 . . 172

II. *Christiana exardente Fide.* - Ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehitur Templum Paroeciale Sancti Ioannis Baptistae, in civitate « Chaumont » nuncupata, intra fines Lingonensis dioecesis exstans. - 24 Iunii 1948 173

EPISTULAE

I. *Opportunum.* - Ad Revmum P. Gulielmum van Hees, Ordinis Sanctae Crucis Magistrum Generalem: septimo exeunte saeculo ab eiusdem Ordinis Constitutionum approbatione. - 21 Decembris 1948 175

II. *Exeunte hoc mense.* - Ad Excmum P. D. Franciscum Petrum Bučys, Episcopum tit. Olympenum, Congregationis Clericorum Regularium Marianorum Superiorem Generalem, quinquagesimum sacerdotii annum impleturum. - 25 Aprilis 1949 176

ALLOCUTIO

A Summo Pontifice habita coram multitudine puerorum, die quinquagesimo natali Eius Sacerdotii Veneratissimo Patri hosanna canentium. - 2 Aprilis 1949 177

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Alumnis Scholarum catholicarum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis datus ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes aliarum nationum. - 2 Martii 1949 . . . 179

HORTATIO

Ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis. - 23 Martii 1949 182

ORATIO

Pro Anno Sacro Iubilari MCML 187

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Decretum de facultatibus et gratiis pro America Latina. - 26 Martii 1949 . 189

II. Provisio Ecclesiarum 192

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Parisien.* - Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Annae Mariae Javouhey, Fundatricis Instituti Sororum a S. Ioseph « de Cluny ». - 13 Februarii 1949 193

II. *Brixien.* - Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Fundatricis Instituti Sororum a Caritate. - 6 Martii 1949 . 195

III. *Savonen.* - Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Mariae Iosephae Rossello, e Tertio Ordine S. Francisci, Fundatricis Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia. - 6 Martii 1949 196

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 198

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

PETRI CARD. GASPARRI

TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO, Editio nova ad mentem Codicis I. C. - Vol. I, pp. 472 - Vol. II, *cum alligatis. In brochure,* pp. 620
In Italia L. 700 — Estero $ 2

CATECHISMUS CATHOLICUS
In 12ª, pp. 488 - In Italia L. 100 - Estero $ 0,50

BRUNO CARD. IOSEPH

CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE
seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), — In Italia L. 100 — Estero $ 0,50.

— **Appendix,** ab anno 1936 ad annum 1940 (pp. VIII-38), in-8° — In Italia L. 20 — Estero $ 0,10.

BRUNO CARD. IOSEPH

ORDO IN CONCILIO PLENARIO SERVANDUS
In-8° di pp. 75 L. 50 — estero $ 0,50

Breve e sicura guida per la celebrazione dei Concili plenari ed anche provinciali. Contiene, aggiornate e ordinate, tutte le prescrizioni e norme canoniche e liturgiche al riguardo che diversamente occorrerebbe ricercare in altre fonti (Concilio Tridentino, Pontificale Romano, Cerimoniale dei Vescovi, Codice Diritto Canonico e Concili plenari vari)

EXCERPTUM E CODICE IURIS CANONICI AD USUM RELIGIONUM LAICALIUM

LEGISLAZIONE CANONICA RIGUARDANTE LE RELIGIONI LAICHE (traduzione italiana autorizzata). In-12°, pp. 76.

LÉGISLATION CANONIQUE CONCERNANT LES RELIGIONS LAIQUES (traduction française autorisée). In-12°, pp. 72.

CANONICAL LEGISLATION CONCERNING RELIGIOUS (authorised english translation) novissima editio 1949. In-12°: pp. 72.

LEGISLACION CANONICA RELATIVA A LAS RELIGIONES LAICALES (traducción española autorizada). In-12°, pp. 78.

DIE KIRCHLICHE GESETZGEBUNG BEZÜGLICH DER NICHTPRIESTERLICHEN KLÖSTERLICHEN GENOSSENSCHAFTEN (bevollmächtigte übersetzung). In-12°, pp. 80.

Singula volumina Lit. 150 ($ 0,40)